HISTORIA AVENIONENSIS CONTAGIONIS.

RERVM MEMORABILIVM, QVÆ in eadem Ciuitate Annis 1629. & 1630. Peste grassante gestæ sunt, seriem complectens.

Ad Posteritatis Exemplum, & Institutionem.

A D. LAVRETO de FRANCHIS, Neapolitano, Sacræ Theologiæ, & V. I. D. Protonotario Apostolico, Vicario generali Auen. descripta.

Ad Eminentissimum, & Reuerendissimum Dominum D. FRANCISCVM BARBERINVM S. R. E. Cardinalem, Vicecancellarium, S. D. N. URBANI VIII. Nepotem.

AVENIONE,

Ex Typographia I. BRAMEREAV, Sanctissimi Domini Nostri, Vrbis, & Vniuersitatis Typographi, 1633.

Ex Superiorum permissu.

EMINENTISSIMO REVERENDISSIMOQVE D. D. FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. Card[li]. Ampl[mo]. Vicecancellario S. D. N. VRBANI VIII. Nepoti.

Lauretus de Franchis.

HEBES, & imbecillis ingenij mei acies, vestra Eminentiæ confirmata præsidijs, nihil dubitauit supremum illud Cælestis Aulæ penetrare sacrarium, vt humanam mentem hac concretione mortali expoliatam, spolijs hostium oneratam, honoratamque denique de ancipiti, difficilique prælio, in æternos triumphos spectarem penetrantem. Nunc verò, cùm mihi de illo cælestis pompæ splendore, vsque eo obtutibus meis impari, in hanc nostram Regionem sint reuocandi oculi, non gaudium, non gloriam, non triumphos, quibus

beatæ mentis in supremas ædes decoratur ingressus, sed mundanas, quas spectaui miserias, luctuum, funerum, cladiumque funebres pompas, quas dira affert lues, & domestica tremoris plena spectacula, describo, & vestræ Eminentiæ represento. Horrorem operis fructus excusabit. Nihil obstabit ipsius fælicitati infelicis huius temporis luctuosa narratio; nec verò minùs illi gloriosum erit, laboribus, & prælijs, quam palmis, & quieti fauisse. En adest quoque ad Eminentiæ vestræ pedes Auenio prouoluta, suis illustrior infortuniis, sibi gratulabunda, Tibique gratias referens immortales, quod tantum nacta sit suæ salutis assertorem: Cuius & Consilia pene diuina, & publicæ ab Eminentia vestra instituta praces, & vestra singularis in eam munificentia, cælestia veluti præsidia, desperatam eius salutem perfectè restituerunt; En inquam, adest tot linguis vestras vbique laudes celebratura, quot ciuibus, tot templis, vestri nominis immortalitatem ornatura, quot œncomiis, tot denique monumentis vestræ liberalitatis notas inscriptura, quot mentibus, acceptorumque beneficiorum memoriam nulla vnquam ætas conticescet, nullis futurorum temporum nubibus obscurabitur, nullaque ex Auenionensium mentibus delebit obliuio.

INDEX RERVM AD NOTAM ILLVSTRIVM in margine repositarum.

hum

INDEX SECTIONVM
HVIVS HISTORIÆ.

Approbatio.

EGO subsignatus I.V.D.Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius Canonicus S.Ecclesiæ Auenionensis, librorum Censor ab Illustr.& Reuer.D. Archiepiscopo Auen. specialiter designatus, diligéter & sedulo, legi librum seu *Historiam Auenionensis Contagionis à Reuerendissimo Domino LAVRETO DE FRANCHIIS, in sacra Theologia & I.V.D.* Protonotario Apostolico, nec non in Archiepiscopatu Auen. Vicarius Generalis ritè & accurratè conscriptam, & censeo dignam luce, & commendationem publica, & ideo iure typis debitã; vt æquè luceat corã posteris hominibus rite gestorũ memoria, quantũ suo tempore, & adhuc in dies magis vigent, & viuunt in ore, & laude omniũ eruditissimi & infatigabilis scriptoris opera bona, nó solum Auenionensibus in eorum animabus, corporibusque salubriter curandis, & conseruandis affatim, & impensæ præscriptæ, sed etiam finitimis regionibus ab eundem finem eiusdem curæ, & solicitudini commendatis, piè, impignè, & liberaliter non negata. Ità ingenuè refero, & me subscribo. Auenioni die 5. Aprilis 1633.

L. Suarez.

Visis Doctorum approbationibus concedimus, vt imprimatur die 7. Aprilis 1633.

F. Dambrueus Inquis. Gen.

HISTORIA AVENIONENSIS CONTAGIONIS.

ANNO à Virgineo partu vigesimo octauo supra millesimum sexcentesimum, Lugdunum totius Galliæ emporium multò celeberrimum, ea virus pestilens inuasit sæuitia, vt tertium illi excidium minitari videretur. Sed vbi triste nuntium ad has nostras inferiores regiones delatum, ingentē ferè omniū animis incussit pauorem, qui enim sagaciores erant, rerúmque vsu potiores, in Lugdunensi clade semen nostræ perniciei iaci dictitabant, siue crederent non posse

tantum incendium restringi, quin per circuniectas regiones latè diffunderet flammas; siue sanctiùs conjicerent, tam seuerũ in vna vrbe Diuinæ vindictæ statutum exemplum, pœnarum esse, quæ cæteras non minùs sontes vrbes manerent, certissimum præsagium: Nec verò vanũ fuit auguriũ, vix dum Lugdunensis incendij exercuerat furor, cùm Carpentoractensem Ciuitatem, aliáque quamplurima Comitatus Venaissini Oppida primas mali scintillas obstupuit in suo gremio conceptas: ardere viciniam, vbi Auenio accepit, trepidare primò, tum auertendo periculo omne remedij genus adhibere Archipręsul Illustrissimus totam Ciuitatẽ in vota vocat, vt Diuinũ placans numen, plagã auertere deprecetur. ItaqueAuen. populus sacram sui Pastoris vocem audiens, de implorando Deiparæ Virginis suæ Vrbis præsidis auxilio seriò cogitare cepit. Anniuersarius fortè aduentabat dies, quem Præsentatio immaculatæ Virginis fecit inclytũ, illum

Solicitudo Illustriß. mi Domini Prolegati.

ad sua vota peridoneum eligit, vt quo die Regina sanctissima se in templo Deo stetisset, & obstulisset, ipse se, suámque Vrbem sanctissimæ Reginæ in eius æde sisteret, & offerret, votis in hæc verba conceptis.

Votum Ciuitatis.

Nos Balthasar de Fougasses Dominus de la Bastie, cubiculi Regij Præfectus honorarius, Pontius Viuet, Bartholomæus Christianus Consules, Rodolphus Robertus Iuris vtriusque Doctor, Assessor, Consiliarij, publicæ valetudinis Collegæ huius Auenionensis Vrbis omnium Ciuium nomine votum facimus Deo, sacratissimæque Virgini Mariæ in Angelorum conspectu omniúmque Cælestium, atque tuo Illustrissime Domine, ac Reuerendissime Archipræsul, atque promittimus anniuersariæ Præsentationis recurrente die quotannis, & in perpetuum Nos in ædem Consularem hora congrua conuenturos, & inde Consulibus, candidum cereum incensum præferẽtibus ad Beatæ Mariæ cui à Domnis nomen, processuros, ibique maiori sacro adfuturos: ad optandum verò prædictum sacrum, eorundem

Ciuium nomine promittimus, in singulos annos, & in perpetuum triginta libras Francias, vt dignetur Deus pro sua singulari bonitate, & misericordia nos à pestilenti lue incolumes seruare.

Ad hæc promittimus in venerationem diui Angeli huius Vrbis tutelæ Præfecti die illius cultui dedicato interfuturos quotannis sacro, quod in sacello ad eius honorem in Diui Desiderij erecto, fiet, ibique cereum candidum decem librarum pondere, Vrbisque stemmatis signatū oblaturos, qui tota die ad imaginem ardebit.

Insuper supplicationi adfuturos cereum candidum Consulibus, & Assessore prætentantibus, vt eius sacro patrocinio à lue, bello, & fame hæc eius Ciuitas immunis esse posit.

Præterea promittimus, vti suprà, quotannis, & in perpetuum in eleemosynam elargiri pœnitentium mulierum domui, nuper in hac Vrbe sub titulo Beatæ Mariæ Ægyptiacæ erectæ quinquaginta modiorum tritici copiam die vigesimo primo Nouembris: in eum verò euentum quòd præsignata Domus periret, eleemosyna prædicta ad pium aliquod opus pro decreto Con-

filij publici addicetur; idque, vt dignetur Deus à nostris capitibus sua Iustitia flagellum, quod nostris delictis lacessiuimus, auertere, suàmque impartiri misericordiam, noxàsque condonare.

Ita promittimus, & iuramus, & ab Illustrissimo Domino postulamus, vt nobis omnibus scripturam publicam in monumentum perpetuũ tradere velit.

Vt id publicum votum supremo Numini foret acceptiùs, Illustrissimus Archipræsul suas preces adiunxit. Sacris igitur indutus vestibus Missam celebrauit, & sacra communione Consules prædictos, & Assessorem refecit, tum ad Altare sedens grauem habuit orationem de rerum humanarum volubilitate, atque inconstantia, déque Cælestibus minis reformidandis: cúmque ad præteritas, quoque noxias detestandas, vitàmque in melius instituendam omnes esset vehementer hortatus, perorauit,

Voto huiusmodi emisso, Magistratus, præcludendis omnibus malo vijs totus in-

vigilat. Annum ferè integrum in hac laudabili ſolicitudine Auenio perſiſtit intacta, ſpèmque iam aliquam conceperat ſe communem cladem euaſuram ſingulari præſidio magnæ Matris, quam ſuæ ſalutis præcipuam Præſidem agnoſcit, ac veneratur. Verùm minora fuere promeritis ſupplicijs vota. Itaque dilata pœna, non deleta: Anno enim proximè ſubſequenti ſub ineuntem Iulium ſeſe ſenſim, & propè ſine ſenſu in aliquot obſcuras domos inſinuauit lues, cuius tam ambigua erant indicia, vt diu inter peritos de rei veritate contentio fuerit. Nec vltra trinos hoc menſe de viuis abſtulit. Interea Conſules, publicæque valetudinis Præfecti curas omnes intendebant ad primas illas mali fibras euellendas. Sed eludebat conatus tacita lues, & quaſi Cæleſti regente manu in nouas irrepſerat familias. Cumque ſubineuntem Auguſtũ aliquot funeribus nonnullas ædes afflictaſſet, cœpere Ciuium animi nouis terroribus con-

cuti, serióque de antiquis restaurandis remedijs,nouis que adhibēdis cogitare.Eam ob rem Consules Illustrissimum Prolegatum supplices adeunt, multa ab eo ad periculum auertendum orāt, & exorāt. Medici, & Chirurgici de consilio publico eligūtur, qui explorato morbi ingenio ad Consules integra fide referant, quibus maximé rationibus posset eius cursus præscindi,maximæ calamitatis breui futuræ iudicium sibi quisque videri dicebat, Primates famulos, famulasq; & mercatores, artificèsque operarios,quot poterant, missos faciebant. Ab Illustrissimo Prolegato inter cætera cautum est, ne vllum planè esset commercium cum familia, in qua quis esset morbo adhuc anticipi tentatus: Quod si subsequeretur læthum solis domesticis libitinariorum, vespillonúmque munus relinquebatur, qui concubia nocte cadauer in destinatum cœmeterium afferebant, raptimque funere procurato, sese tacitè in suas referebant ędes, ne reliquos

Ciues spectaculi horrore implerent, aut contagione inficerent. Interea Medici, cæteríque publicę valetudinis procuratores (vt proni sunt animi ad opinandum ex votis) aut negare vllum inesse virus, aut quale quale esset arcanum habere satagebant: cùm persuasum haberent decursa æstate, Cœlíque ardentiori æstu deferuescente, quidquid reliquum esset veneni, facile extinctum iri.

Sed res secus euenit, vnde enim virus credebatur suffocandum, inde vegetiùs extitit. Ineunte autē septembri, cum iam tēperatiori Cœlo, benigníorique frui cepissemus, tum altiùs caput extulit fœda lues, cladémque quam suis deinde tēporibus sensimus, visa est interminari. Tum excitatus ingēs in vulgi pectoribus pauor alios vidisses attonitis similes medijs in vicis obrigescere, alios lymphatorū more, vt in repētino tumultu euenit, huc, illúcq; absque consilio cursitare, cautiores alios tabernas obserare, pretiosiorem supelle-

ctilem

ctilem in tutiora loca abdere, etiam adstructo muro; alios, quibus ampliores fortunæ, raptim exitum adornare; omnibus vicis instrumenta domestica comportantur, efferuntur, sternuntur iumenta, vbique onerantur plaustra, multóque sub pondere gementia totas vias longo ordine implent; Credunt mox Auenionem dehiscente tellure absortum iri. Tantus est plerisque ciuibus aufugiendi ardor: quà in suburbanas Villas, quà in vicos, quà in Castella vicina, quà etiam in remotiora ab omni periculo loca. Interea dum turbatur turba, qui publicæ rei habenas moderantur, in suo officio intrepidi, conciliόque pleni perstant. Illustrissimus D. Marius Philonardus Archipræsul vnà, ac Prolegatus, quàm dignè geminum munus impleret, quorum alterum, alterius æquaret vires, probauit: dum ad instar Principis Pastoris Christi, ne suarum ouium deesset saluti, voluit propriã vitam in medijs periculis, vti iam pridem desti-

narat, esse expositam; dum ad instar summi Rectoris Dei, totam sibi commissam Rempublicam sanctissimis muniuit decretis, quæ infra separatim describuntur, suaque vigilanti solicitudine, ne, vltra plagam cœlitus inflictam, vllum detrimentum pateretur, effecit. Magnifici quoque Consules, rati se præclarum ad diuinam gloriam, suúmque nomen celebrandum nactos annum, sua omnia consilia, laboresque, ac vigilias in salutem publicam contulerunt. Gratum Cœlo fuit tam insigne illustrium Præsidum conseruandæ Reipublicę studium: Hinc factum putem, vt si non penitùs intẽtatas iam minas illi cohibuerint, ita tamen procellas attemperauerint, vt nunquam vis mali Rectorum artem, consiliaque superarit.

Isthæc fuere præcipua contagiosi veneni signa plebique inguine obsessus, quos vulgus bubones vocat; nonnullis secundùm aures, alijsque sub axillis, non paucis totis artubus subnigricantes

maculæ, alijs ſubceruleæ inſperſæ erant, quæ omnes exitiales habebantur.

Hoc primum menſe, Valetudinarij, cui à Campo florido nomen, pandi cœptæ ſunt valuæ, quæ iam per quinquaginta ferè annos, quibus àb omni contagioſa lue intentata Auenio perſeuerabat, occluſæ erant.

Situm hoc Valetudinarium in ſuburbano agro vicenis circiter ab Vrbis mœnibus paſſibus direptum, loco ſanè amęno iuxtà, ac commodo. Latum enim pratorum æquor, perpetuòque vermans ſeſe ferè vndique circunfundit, riuúſque liquidas duntaxat, argenteaſque vndas agens, non minori voluptate, quàm commodo totũ circunfluit agrum. Ædificium in ſuas aulas, ædiculas, cubicula diſtinctum, ad magnam ægrotantium multitudinem capiendam eſt peropportunum. Haud ita procul, quà ad occaſum pertinet, celebris Galliæ amnis Rhodanus præterlabitur; ad cuius littora optatus iacet campus, in quo

tuguriola ex sectilibus tabulis constructa fuere, ad eos, quorum anceps esset valetudo, capiendos. Ipso Inuentionis salutiferę Crucis peruigilio huiusmodi pestiferorũ valetudinarij fores, antea, vt premittitur, occlusæ, sunt reseratæ: par nimirum erat, vt quę nobis Cœlestis Regiæ crux extitit clauis: & illa ipsa ad supremæ aulæ atrium primos aditus panderet.

In istud charitatis sacrarium, Reuerendus Pater Bastida Ordinis Prædicatorum Confessarius, & D D. Ioannes cognomento Rector prefecti valetudinarij præses, Andreas Yuetus, & Claudius Conuantius Chirurgi omnes viri industrij, generosi, ac pij ingressi sunt.

MORBI ORIGO, INCREmentum, & decrementum.

ÆTERNVM habet Auenio documentū *Vanas esse, & inanes hominum curas, ac solicitudines, quas suprema non secundant consilia*, & illud Diuini Vatis carmen, *Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Psal. 125. Quid enim Illustrissimus Archiepiscopus, & Prolegatus de Pastorali munere, quasi in specula collocatus, omisit? Quid D D. Consules, alijque publicæ valetudinis Præsides, de humanis rebus valde soliciti, & tam acurati, & studiosi viri, vt pestifero veneno ab initio omnibus repagulis, & asseribus obsisterent, præ-

teriere? Quid Ciues vniuersi Optimatibus obtemperando, ne malum vires sumeret, non subierunt? Denique quid à summo vertice vsque ad pedē intactum relictum est? Nihilominus tamen illapsa est intra Auenionis septa labes, sed tam tacitè, & occultè illapsa, vt per quos aditus, aut ruinas, aut cuniculos, aut rimulas hactenus ambigatur. Quis ingnorat hominū cogitatus, atque adiumēta pestilētissimæ huic lui satis admodum esse inferiora? Cùm huius morbi semina humanę sapientiæ vim subterfugientia, vel ipso Hippocrate teste, in Deum Optimum Maximum referri debeant, sic peccatorū scelera vlciscentem, & corporum perniciem, ac animarum suo pretioso sanguine redemptarum salutem procurantem. Inde factum mihi facilè persuadeo, vt in indagandis huiusce mali primodijs tanta sententiarum varietas sit suborta. Nihil enim est, in quo

magis opiniones humanæ varient, quàm ijs in rebus, in quibus, aut ad celęste decretum referenda est causa, aut ad occultas, hominibúsque penitus ignotas naturæ vires. Nonnulli enim ex Lugduno in vrbem serpsisse contendut, ex aliqua suppellectili, literisque Nosochomij Sancti Bernardi Auen. Pręfecto, Grasset nomine, vt postea rescitum est, secretè allatis, qui primus lue in dicto Nosochomio sub finem Augusti extinctus esse creditur. Præterea ab eodem ægrotantium domicilio in vicinas Vrbis ædes hac ratione propagatum dicitur virus. Quidam ex illo, vicinarum mulierum opera ad lineas suas vestes expurgandas vtebatur, quibus simul, & vestes, & venenum tradebant. Illi verò cęteris Vrbis Ciuibus, quibus suam rursum locabant operam, contactu quoque venenum communicabant. Alij ex oppido Sancti Spiritus morbum ad

Origo morbi.

hanc Ciuitatem profluxisse affirmabant per quandam puellam; quæ hanc Vrbem ingressa, paulo pòst morbo correpta est, & ex quatuor mulieribus quæ cum illa communicauerant, omnes contagio affectę quidem sunt: tunc vna tamen duntaxat paucos post dies interijt, cæteris ope Chirurgica curatis; Chirurgus autem, qui eas curarat, paucis interjectis diebus luem contraxit, & conualuit.

Alij luem ex oppido Aramonensi ad hancCiuitatem delatam dicunt per quendam artificem, qui ibi negotia tractans luem concepit, ille repente corruit exanimis, vniuersaque eius familia in Campum floridum transportata, ibi peste sublata est.

Nonnulli etiam ex dicti artificis vicinis, & amicis, qui illius familiaritate vtebantur, periere.

Alij ex sordida quorundam artificum auaritia, qui testimonio Vrbis muniti,

niti, & se ad sana loca permanere fingentes cum vicinis Oppidis lue contaminatis rem agebant, à quibus res vilissimo ementes pretio, vel cum aliquâ suppellectili eas permutantes, & hanc in Vrbem deferentes, cum emptâ vel permutatâ suppellectili luem inuehebant.

Alij autem disseminatum esse venenũ pronunciabant, ab ignotis quibusdam hominibus, qui cum essent pestifero morbo afflati, se pro saluis, & integris totâ Vrbe gerebant, suumque in eos omnes, cum quibus negotia tractabant, morbum vulgabant. In quos, iuxta Decretum, quod ab Illustrissimo Domino Prolegato emanarat ad comprimendum malum, non est animaduersum, cùm valetudinis Præfecti benigniùs fore, quàm æquiùs iactarent, *Non esse nouo affligendos supplicio, quos tam seuero pœnarum genere cœlum tetigisset.*

Itaque ex his, quæ supra commemorauimus, omninò certum est incertam esse primam mali originem. At verò eius

Morbi incrementum incrementi inuestigare causas, non est arduum. Cùm enim in binas sententias Magistratus, grauissimique viri scissi essent, alijs pestiferum esse morbum tuentibus, alijs periculosum quidem morbum, sed peste vacuum pronunciantibus, perpetuum erat sine vllo discrimine, & cum omni hominum genere commercium: ex quo credi non potest quantas venenum sumpserit vires.

Tum quia locupletiores Ciues, & publicæ sanitatis Præsides, qui afflictis rebus, tum suo consilio, tum maximè ijs, quibus pollebant opibus subuenire debebant, in dies, morbo ingrauescente, turmatim discedebant, ipsámque Vrbem in magna vastitate, & ab omnibus propè humanis destitutam præsidijs relinquebant.

Miseri enim, qui ob inopiam elabi nón poterant, vires, vnde se sustentarent, vix habebant; cùm nec esset, qui eos conduceret operatim, nec qui erogata stipe prementi inopiæ subueniret. Ex quo nullus

iam esset mercaturæ, & artificis quæstus nisi tantum eleemosyna, quę Ciuitati pietate,& libertalite suppeditabatur,quæ tamen ad victũ non erat sufficiens. Vnde ad parabilem cibum coacti confugére, ventrem quâ insalubribus, & crudis herbis, quà radicibus, quâ id genus cibis implebant. Aut certè, vt aliquid possent pecuniarum lucrari, quotidie incredibili cum labore remotum satis adibant agrum Thymum, aut lignum collecturi; ex quo magnam plerique contrahebant labis materiam, quæ vel aditum eis faciebat ad aliquem excipiendum morbum, vel facilia erant semina ad lethale huiusmodi contagium, tum ex pecunia, quam ex omni hominum genere recipiebant, tum ex eorum communicatione: & deinde facilè in reliquos conciuesluem, quam contraxerant transfundebant. Inde alterum eueniebat incommodum. Cum enim miseri illi homines in morbum inciderent, cuiuscunque generis esset ille morbus, ad

periculum euitandum, illos valetudinis curatores intra sua domestica septa coërcebãt, nec inde pedẽ efferre patiebantur, nec liberum habere cum reliquis cõmercium; In illo verò quasi ergastulo detenti geminato affligebantur cruciamẽto: inopia nimirum, & corporis ægritudine, ex quo non poterat non subsequi grauior morb⁹. Quo iam formato, siue pestifer ille esset, siue non, in cõmune pestiferorũ valetudinariũ transportabantur; In quo plerique qui veneno integri erant, venenum contrahebant, & vt plurimùm miserè peribant. Cui maximo incommodo rectè deinde prouisum fuit; qui enim ad dictum valetudinarium deducebantur, antequam illud ingressi essent, à Chirurgis inuisebantur, & qui reuera contagio laborare comperti erant, intus excipiebantur; alij ex sola morbi suspicione probandæ valetudinis causa, ad tuguriola mittebantur.

Octobri mense funestissimum crudelissimi Tyranni aduentum, qui vnius anni

inducias dederat, quo se armaret ad illum excipiendũ, supra quàm dici potest, Ciuitas perterrefacta. Consules modo pedites, modo equites Vrbem lustrabant, omnibus rebús attenti, omniũ conscij, mœstos popularium suorum animos re, & verbis recreantes, ludi literarij omnino sublati.

Quæ ad victum erant necessaria ampliùs per Ciuitatem ab Institutoribus vendi vetitum est, sed in distinctis locis vnicuique Parrochiæ accomodatis.

Nouembri verò mense perpauci per vias incedebant, & ex ijs, vel pyxidibus odoratis armati, vel obtectis sudariolo naribus. Nullus autem quantumuis charo amico, & affini credebat. Quisque manu baculum gestabat. Hoc mense plaustrum funerale visum est, vbi ægroti pestis morbo affecti, semiuiui, & squallidi, pallida facie oculos vel remissos, vel rubentes, ac ferè truculentos habentes, conductorum, & armatorum hominum opera suis à sedibus, rebúsque charissimis auulsi,

quasi proijciendi ad Campum floridũ foras exportabantur: Quorum non aſpectus ſolum, ſed ipſe rotarum ſtridor, & funeſtus campanulæ, quæ anteibat, ſonus ad obuios longè monẽdos, magnum inijciebat horrorem. Hoc atroci ſpectaculo Ciuitas tanto metu perculſa eſt, vt ab omnium oculis lacrymarum vimeliceret.

Hoc quoque menſe ſecundus Conſul, D. Antonius Mottetus lue extinctus eſt, ex cuius obitu triginta ſex, qui erant ex omnium Ciuium ordine delecti pro ſanitate tuenda, tanto timore perculſi ſunt, vt maximæ calamitatis breui futuræ indicium ſibi quiſque diceret. Itaque pauore animi commoti, officij ſui partes ferè omnes reliquére, & cæteri, qui remanſerant perpauci, peſte potius corripi, quàm fugam moliri conſtanter ſtatuerunt. Qui egregiè pro ſua in patriam pietate multis laboribus exhauſtis, nec ſine quotidiano præſenti vitæ diſcrimine, labenti patriæ opem tulére. Quorum inſignem in Patriã,

paupereſque charitatem, & maximam pietatem hîc ſigillatim recenſendo laudare, ſicut ſatis longum certè eſſet: ita confido Cœleſtia potiùs ab eis, quàm caduca hæc, qualiacunque ſint, laudis humanæ præmia expeti. Reliqui verò duo Conſules, nempe Dom. Henricus de Sceyptres, Scutifer' de Comons, & D. Antonius Brian, non duo profani, ſed tanquam duo Sacri Caſtores, vna cùm D. Petro Frãciſco Tondutto Aſſeſſore, in ſumma Vrbis tempeſtate omnium animos recrearunt:

Decembri menſe vis morbi increuit, publicáque ſalus peſſum ire cepit. Ingentem enim omnis ætatis ſtragem edidit, & nullis terminis coërcita lues quacũque ſerpere, nulli parcere. Itàque cuncti omni ſpe deſtituti aduentantia pericula fuga tantũ vitare ſe poſſe rati, ex locupletioribus ferè omnes diſceſſêre, periculis ſe ſubducentes. Celeri fuga, re licet inutili graui tum exilio vitam redimere coacti, lacrymabundi longè abiêre, infima plebe

Vrbē sibi retinente. Imminutus tunc satis incolarum numerus cernebatur, & ea erat Ciuitatis facies, quæ horrorem simul, & commiserationem animis crearet; omnia in illius perniciem videbantur conspirasse, templa orbata Sacerdotibus, forū Iudicibus; Curiæ Doctorib⁹, Collegia scholasticis, campi Agricultoribus muri Ciuibus. Cuncta strage edita, cuncta sæuo pestis impetu sternebantur. Plateam Mercatoriam, Cambium nuncupatam, hominum frequentia alio tempore semper exornatam, eo verò calamitoso statu, nemine recurrente, peragrasses. In cœteris verò Ciuitatis locis nemo ferè obuius, hîc eiulatus, illîc suspiria audiebantur; sacræ ædes vacuæ, fora derelicta, negotiorum mira frequentia tota sublata, cunctaque solitudinem, horrorem, lethumque portendere videbantur.

Hoc mense in vicum, Carecteriam nuncupatum primùm, lues se se sensim diffudit, & deinde diffusa in vicinum vicum, biduo,

Infirmariam vocatum, ęgros breui morbo aut triduo extinguebat, nec vis morbi tantisper cohiberi potuit, quin paucissimis diebus flammæ instar vento perflante omnes illarum habitatores depascentis densa Ciuium agmina sterneret. Funesta tunc peste afflictos in immensis positos ruinis, neminem lætos habuisse vultus, sed horridos, mestosque vidisses magno squallore, sed multò majore timore; vox in omnibus submissa audiebatur ad miserabilem sonum inflexa: nec ad eorum ruinas, quibus quisque oppressus erat, quicquam addendum acerbitatis videbatur.

Ianuarij mense decurrēte, cùm quatuor suprà centū lue correpti duntaxat numerarentur, magnā spem ab ingruente periculo Ciuitatem eruptum iri cuncti animo conceperant. Vtque pestifero huic mōstro omnibus repagulis obsisteretur propè huius mensis finem ab Illustrissimo Prolegato cautum est, ne vllus cuiuscunqe sor-

tis, & sexus de suo limine exiret à die quarta instantis Februarij in quatuordecim subsequentes dies, exceptis familiarum capitibus, aut vno in singulis familijs destinato, quibus à Magistratu, aut publicæ sanitatis Præfecti tessera ad id traderetur, quam ad nullum alium ea abusurum possent traducere.

Item prohibeatur, ne quamcunque ob causã vlla misceretur cum aliena familia cõsuetudo, absq; peculiari facultate literis expressa à dicto Illustrissimo, gratis obtẽta

Vinitoribus nihilominùs, & Agricolis in vineis, & agros Auenionensis territorij eos excolendi gratia; nec non lignatoribus, thymi collectoribus, publicis tesseris instructis, potestas fuit eundi extra Ciuitatem, modò recta tenderent, nec vllo modo vagarentur, prout publico edito cautum est, quod cum cæteris ordinationibus reponendũ curauimus. Nos quoque qui Vicarij generalis munere fungebamur, alio edicto Clerum etiam domi se

continere iussimus, ijs tamen exceptis, quos ob pia ministeria, diuinàque Officia tàm in Ecclesijs, quàm alibi pro publica omnium vtilitate versari oportebat. Occlusionis autem diem, vt quisque possit ad eius tempus victum opportunè comparare, vtroque edito paulò ante omnes moniti, & adhortati simul fuêre, vt eo temporis spatio, quod in custodia traducendũ acciperent animi sordibus elutis per pœnitentiæ sacramentum Deum placare deberent, multàque edidimus pro spiritualibus exercitijs, hoc eodem tempore faciendis, quæ etiam pleniùs seorsùm descripta sunt.

Hortati fuimus, vt omnes, & singuli, antequã se in suis quisque domicilijs per illud dierum spatium includerent, peccata confessi, sacram cõmunionem sumerent.

In omni triuio Crux loco decenti erecta fuit, ad quam orantes & precantes spectarent.

Altaria quoque situ eminentiore structa

ſunt ab omnique parte conſpicua, vt incluſi à feneſtris, vel ab eorum oſtio, quo ad eius fieri poſſet, Sacerdotem celebrantem proſpicerent. Ligna verò tignàue, quibus altaria ſuſtinebantur, ità firma, ſolida, fixa, atque inter ſe benè, aptèque compacta erant, vt ventorũ impetu, ac vi non modo non corruerent, ſed ne labeſcerent quidem, nec ex vento, pluuiâ, iniuriâuè temporis aliquid incommodi, indecori, offenſioniſuè accedere poſſet. Durãte hoc tempore occluſionis omnes familiæ Religioſæ ſupplicantium ritu accedebant ad Ædem B. Marię de Domnis Eccleſię Metrapolitanæ, ibique ſeiunctæ placando numini ſtatutas preces fundebant. In ſupplicationibus verò Religioſi non conferti, non denſi & cõpreſſi inter ſe erant, ſed ordine diſtincti, & decẽti interuallo ſeparati, vt contagioni locus non daretur. Recitabant in itinere aliquas inſtitutas preces à nobis præſcriptas ad iram Dei placãdam.

Omnes verò familiæ orationem ſine

intermissione institutam habebant. In singulis plateis deuotæ conciones à pijs Religiosis habebantur.

Mense autem Martij, morbus magis inualescere, & recrudescere cæpit, & per multas Ciuitatis partes, quæ anteà intactę fuerant, pestis peruagata est; & nullis terminis coërcita, quàcunque sæuire, nulli parcere: & omnes ægritudines in humanis corporibus gigni consuetę in morbum pestilentem desinebant. Vbique lamentationes audiebantur, hîc gemitus, hîc eiulatus, & plangor.

Aprili verò Mense, cum dubitaretur morbum augeri, retusum aliquandò apparuisse, & incrementa non solum non suscepisse, sed dimisisse compertum est. Vnde cum vis morbi aliquantulùm mitesceret, Populus tantisper exultare, & cuncta deinde sibi felicia ominari cæpit, & vere iam aperto, nihil in proximos menses timendum asserebat.

Maij autem Mense sublunares decur-

sus vsque ad finem morbi semper funesti, & mortales extiterunt. Nullus tunc fuit Vrbis locus à contagio immunis; acerbitas morbi in Nosochomio Campi-floridi satis creuit, acerbum planè virus, quod intimis ossium inhærescebat medullis.

Iunij Mense per Illustres D D. Carolus de Fougasses Dominus de la Royère, Franciscus Torellus, & Ioannes Carolus, Consularibus Comitijs in Montis Faueti Monasterio habitis, noui Consules creati fuêre, cum Assessore Bartholomęo de Maresio. Quo enim tēpore victorijs tumida, & ense ipsis etiā martis socijs formidando petulantiùs insana furia sæuiebat suos Curtios, suos Codros, suos Horatios, imò plusquàm Horatios, plusquàm Curtios pro Vrbis salute, suam deuouerunt, & eo etiam tempore quo in demortui Consulis locum, quem sufficeret, reperire potuerat neminem. Hi Patriæ amatores, viri fortitudine, constantia, chatitate, alijsque virtutibus præstantes, afflictissimo tempore

labentis Patriæ Regimen, quòd alij refugerant libenti animo suscipiunt. Commissi deinde muneris partes egregiè, ac fortiter aggressuri, à precibus, & orationibus exordiuntur, & ab eo, qui solus, & verus est Deus, & rerum omnium principium, & finis, & cunctorum bonorum fons, & origo, sine quo nihil bonum, nihil validum, nihil sanctum, opem implorant. Publicæ sanitatis fundamenta in ipsius misericordiæ posuêre. Publicas enim Vrbium calamitates Dei Opt. Max. vindices pœnas esse non ignorantes. Sanctissimæ Virginis quoque à Monte Faueto, quam præcipuam Ciuitatis Patronam venerantur, potentissimo præsidio se commendãt, ac proinde sacra in eius æde communione refecti, se illi, vniuersamque Vrbem totis animis deuouerunt, & voces istas adamantino stylo mentibus incidendas quisque edidit, magno pietatis sensu. Quandoquidem Domine sic tibi visum, mihi quoque placet. Ibo, ibo Tibi, carissi-

mæ Matri, meis fratribus Ciuibus tuis, meæ Patriæ, tuæ Vrbi deuotum sanguinem lubens & lætus effundam. Ciuitatem deinde lue affectam intrepidè ingrediuntur. Omnes ex animo illis gratulantur, lætis acclamationibus Patriæ liberatores, parentes, ac decus appellantur. Cuncti tunc ex tam felici ingressu, optimamque, quam sperant administrationem proximam sibi publicam salutem, cunctàque adfutura felicia ominantur: maximas Diuinæ munificentiæ de tam dignâ, & omnium votis exoptatâ electione gratias referentes, immensam quandam lætitiam, atque incredibillem alacritatem præ se ferre videbantur.

Felicibus ijs initijs, & auspicijs Ciuitatem ingressi, in illius custodia, quasi in vigilia ità perstitêre, vt diù noctùque à rebus omnibus, quibus eorum officio, virtuteque succurrendum erat, oculos nunquam deijcerent. Magnoperè de publica salute solliciti, omnem lapidẽ mouêre ad morbum

morbum propulsandum, Patriæ deffendendæ nati, & in summa Reipublicæ tempestate exorti omnium animos recreantes; Nosodochijs commeatus, aut aliquid simile ne deesset vnquam diligētissimè leuandis per singulas Parochias ægrotis semper intenti. Inter domesticorum suorum funera stetêre semper incolumes, nec vllus eorum officij sui causa, morbum contraxit.

Quoniam verò in pręterito Magistratu perspexerant tot adiumenta, totque remedia tentata, vt afflicta Ciuitas veneni morbo liberaretur, nulla humana prætermissa sunt auxilia, vt afflictæ Populi saluti prouideretur, & nihilominùs cuncta in vanum acta fuisse, cuncta in cassum, & irritos cecidisse humanæ industriæ conatus diuino Numini offenso obsistere neminē posse certò sciētes, ad verā Dei clementiā, & benignitatem tanquam ad amicam nostrorum scelerum Vindicem, recurrendum statuêrunt. Ipsum Illustrissimum

Archipræſulem Prolegatum obſecrant, & obteſtantur, vt priuatas ſupplicationes quæ quarta poſt meridiem hora, ſingulis in Eccleſijs, & Monaſterijs tunc habebantur, publicas in Populo inſtitueret majori, quàm hactenùs habitæ ſunt, animi feruore, & pietate ſuſcipiendas. Id enim genus maximum eſſe ad impetrandum nobis à Deo Opt. Max. vt percutienti iuberet Angelo, cruentum illum, & horrificum gladium contra hanc miſerrimam Ciuitatem hactenùs euaginatum, recondere, vt poſt tot clades, atque ærumnas reſpirare tandem ei liceret. Pios quoque monebant Conſules ad has publicas poſtulandas ſupplicationes ſalubria quorumdam virorum probitatis eximiæ Conſilia qui ſuadebāt quinas Auenionenſi Populo indicendas eſſe ſupplicationes, & cum vtroque Clero, tùm Eccleſiaſtico, tùm Religioſo, ad ſacram ſancti Rufi primi Auenionēſis Epiſcopi ædem procedendum, ad iram Dei placandam precibus, eiuſque

summam Majestatem exorandam, vt iam diù ab Auenionensibus auersam, & minis grauem Parentis optimi faciem serenam tandẽ exhiberet. Ad hæc quinquiès sextis ferijs corpus ieiunio macerandũ; & in vltima supplicatione ab Illustrissimo Prolegato sanctissimum Sacramentũ ad Sacram ædem sancti Rufi deferẽdum, & solennem ibi, cœterisque in locis, quibus ægri detinebantur, benedictionem impertiendam.

His peractis fore, vt morbus retusus appareret, paulòque post penitùs decideret, nullumque aliud morbo mirum quantùm pestifero Auenioni superesse remedium. Cum verò sanctarum supplicationũ vsus afflictissimis quibusq; temporibus, & in pestilentia præsertim, grauissimisque morbis Ecclesiasticorum Annaliũ testimonio perpetuò constet adhibitus, & præter sanctorum Patrum Diui Basilij cognomento Magni Episcopi Cæsariensis, Mamerti Episcopi Viennensis, Antiochi Constantinopolitani, & Gregorij Magni Pontificis documenta, ex qui-

bus illæ supplicationes, quàm vtiles ad omnem calamitatem propulsandam, & quàm salubres sint, Archipræsul Illustrissimus non erat inscius, & plurimùm quoque celeberrimum illud apud ipsum valebat exemplum sancti Caroli, qui Ciuitatem Mediolanensem plaga multiplici affectam, afflictamque nullo alio remedio, quàm publicis supplicationibus, pijs operibus, & pœnitentiæ studio liberare potuit. Vsu etiam id compertum habebat ipsemet Illustrissimus in Ciuitate Auenionensi; cum enim integro anno supplicationes ab ipso fuissent institutæ, Ciuitas à peste immunis perstitit. Cum verò propter contagionis suspicionem, aliasque humanas rationes à publicis supplicationibus cessatum esset, & priuatæ in Sacris ædibus hora præfinita fuissent institutæ, animaduersum est luem increbuisse, latiùsque diffusam esse.

His igitur rationibus Archipræsul Illustrissimus impulsus fuit, ad has pu-

blicas supplicationes instituendas.

Itaque à Metrapolitana Ecclesia vsque ad præscripta Sacrarum ædium sancti Rufi metas, recto ordine processum est, ibique Altare conspicuum erectum fuerat, ne vllum à pestiferis his in ędibus reclusis, & ab omni consortio remotis, adiretur periculum.

Ab ipso de Principe templo supplicationis egressu, vsque ad regressum Campanę Ciuitatis omnes hanc ob causam pulsabantur, vt nempe Populus illarum sonitu admonitus toto illo tempore in genua prouolutus suis in priuatis ædibus pro salute Ciuitatis ardentiùs oraret. Nemini extra ædes pedem efferre permittebatur, cumque supplicatio per vicos duceretur omnes domi sese continentes, & preces corpori sufficientes supplicantium agmen prosequebantur. Viæ omnes præpurgatæ erant, armatique milites Sacrum agmen præibant, & subsequebantur, ne supplicantes in via conferti, aut per-

mixti, ſed ordine diſtributi, & decenti ſpatio ſeparati ſine periculo progrederentur. Clerus vterque vna tantum Cruce præeunte incedebat, eáque erat Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Prolegati, quam D. Ioannes Baptiſta Bongus S. D. N. Datarius fune collo appenſam admodum religioſè geſtabat.

Omnes bini congruo dirempti ſpatio incedentes, Litanias, aliàſque idoneas tempori preces elata voce recitabant.

In prima ſupplicatione ſancti Rufi caput in ſtatuta argentea aureiſque diſtincta cælaturis,aptè compoſitum,hoc tempore, quod nunquàm aliàs, ab ipſa Metrapolitana, vbi ſingulari cùm ſtudio aſſeruatur, ſub ſerica vmbella, quam ſex publicæ valetudinis Præfecti geſtabant, & Conſulibus accenſis facibus ſacrum Caput piè comitantibus, maxima cum pompa delatum fuit.

Ego verò ſub extremum ſupplicantium Agmen palliolo, & ſupparo indutus, &

inserto fune collo Litanias, aliasque eiusmodi Sacras petitiones pręcinebam, Consulibus, cęterisq; sanitatis Pręfectis respondentibus, vt placato tãdem Numine ab se, totaque Ciuitate pestem deprecarentur.

In itinere Mulieres præ foribus ædium flexis genibus occurrebant, & quod admiratione dignum est, deiecto vultu coronas precatorias euoluentes insigne pietatis monumentũ exhibebant, cum paulò ante ad ipsum limen ædium altariola pijs imaginibus, & accensis luminibus exornassent. Supplicantes verò non sine pietatis sensu ab inclusis propter periculum domorum incolis cernebantur, omnesque simul publicam sanitatem à Deo enixè flagitabant.

Vbi verò ad destinatum diui Rufi locum longo tractu deuentum fuit, sacrum Caput in Altari ibi instructo, magna cum veneratione repositũ est, tum singuli qui supplicationi intererãt, in genua prouoluti peculiares pro Ciuitate institutas Preces

deuotè recitabant cum alijs quoque orationibus, tùm in sancti Rufi honorem, tùm ad auertendam pestem accomodatis. Quibus absolutis, sublatis in altum sacris reliquijs, publicam benedictionem vniuerso populo impartiebar.

Hoc ordine, & cœteræ aliæ supplicationes habitæ sunt, in secunda, sancti Veredemi Episcopi Auenionensis Caput, in tertia sacra Beatæ Virginis effigies, in quarta sacrosancta Crux, in qua ipsius veræ Crucis Christi insignis portio asseruabatur inclusa. In vltima supplicatione ab Illustrissimo Archipræsule Prolegato sanctissimum Sacramentum delatum est, & ante illius aras pio à me habito sermone, cœlestium irarum vim ante omnium oculos posui, cunctosque ad flagitia sua detestanda, & vitæ rationes meliùs constituendas excitaui, & vehementer adhortatus sum. Vnde factum est, vt quisque ingenua prouolutus alta voce publicis delictis veniam postulabat, &

repetitæ Misericordiæ voces ex animi pia commotione emittebat. Incredibile dictu, quot eximiæ deuotionis signa in ea visa fuerunt: Quot lacrymabundi veniam erratorum petentes, atque ex intimis cordis penetralibus voces, quibus Diuinam misericordiam implorabant, magno dolentis pectoris argumento profundentes, ad quas pijs cohortationibus duorum Patrum Societatis Iesu, qui cum sacerdotali castulâ Christi de Cruce pendētis effigiem præferentes supplicationem precedebant, inter eundum & redeundum inuitabātur.

Supplicationibus placatur Deus.

Vix supplicationes peractæ fuerant, cū repentè Ciuitas Diuinùm cœpit persentire præsidium, & quasi de diuturnis respirare miserijs, & quantò maior fuit occasio accressionis morbi, tantò magis imminutum est malum, ita vt ab ipsa die primæ supplicationis non solùm nihil prorsus accressionis morb⁹ acceperit, sed in dies læta nuncia per totā Ciuitatem sparsa fuerint, morbū iam suum furorē deponere, pluri-

mùmque mitescere. Et quod mirere magis in vltima supplicatione ex tanto Populi concursu, qui quasi iam pestis metu omnino solutus, tàm densum, confertúmque componebat agmen, vt viri templàque ad tantam multitudinem capiendam angustiora viderentur, non tantùm lues nullo modo propagata est, sed cœlò votis annuente, vnde videbatur repullulare debere, inde sit penitùs extincta. Vexilla tunc candida Beatæ Virginis imagine insignita, ipsiusque triumphos ventorum fauore prçcientia, & omnibus Dominam, atque vindicem indicantia, tùm Metropolitani Templi, tùm Vrbànæ domus fastigio infixa volitarunt; & singulis sabbathis vsque ad eiusdẽ B. Virginis natale festum priuatæ supplicationes, ab Ecclesia Collegij, & Curiæ Canonicorum S. Agricoli Episcopi, & Patroni Auen. ad Metropolitanam, aliasque Sanctorũ Ædes à Clero eiusdem Ecclesiæ, & Consulibus tantùm interuenientibus, ardentesque

manibus faces præferentibus hæbitę sunt.

Vnum imprudens non tacebo, quod sine graui crimine ab aduertente non omittatur. Nimirum quantum gloriæ de triumphata lue B. Ignatio obuenerit, ipso enim die S. Ignatij memoriâ inclyto de pestilentia deuicta primæ ceptæ sunt Auenione haberi de Diuinis rebus ad populum orationes; magnus enim omnium Ordinum concursus in Templum Collegij Societatis Iesu factus est, tùm vt sacri Mysterij, quod solenni ritu celebratum est, fieret particeps, tùm vt sacra pœnitentia expiatus, sacroque pabulo refectus, tùm vt concione de B. Ignatij laudibus à me habita mentem iam diù tali pabulo destitutam pasceret, tùm vt venenatum contagij Monstrum suis spectaret oculis iam profligatum, cum totam Vrbem confertæ, conglobatęque concionis iucundū spectaculum exhibentem cerneret, tùm denique, vt agmen indigæ pubis, quod meis expensis recentibus pannis excultū, & do-

Primi post pestem solennes in tota Ciuitate cœtus habiti 31. Iulij die S. Ignatij memoria sacro.

natũ ex peculiari voto,quo B. Ignatio me obſtrinxeram,ex Collegij ædibus ad Principem Ædem B. Virginis ſupplicum ritu proceſſit, vt ſuas tenues viri cum diuitibus miſcentes preces Cœlum penitùs cogerent nobis eſſe propitium. Ne quid autem tantæ feſtiuitati deeſſet gloriæ, pomeridianis horis, mulier iam diù hæreſeos veneno infecta, lethale virus euomuit, & ante ſacram B. Ignatij prauitatis hæreticæ domitoris aram ſolenni ritu curata, Eccleſiæ Catholicæ ſocietati reddita fuit. Sícque Auenio vno die geminam peſtem geminas inferias Sancto Ignatio gratulabunda mactauit.

Pia populi in Beatam Virg. grati animi argumenta.

Natalis verò die B. Virginis, Ciues à matutino ad ſerotinum vſque tempus in Princípe Templo expiato animo, ſacràque communione refecti de morbo profligato,& extincto,reſtitutàque ſalute, Deo gratias agentes, omnia amoris, & gratitudinis monumenta erga ſanctiſſimam Parentem profitebantur, omneſque

se tanquam victimas Optimæ Parentis aris immolandas deuouebant.

Solennis supplicatio.

Post Vespertinas horas autem institutam supplicationem frequentissimam, celeberrimàmque vndique collucentibus facibus, læto, festòque cultu cum insigni pompa comitati sunt. In qua sanctissimũ Sacramentum ab Illustrissimo Præsule delatum est sub vmbella, cuius latera thuribulis argenteis cincta perpetuis odoribus complebantur.

Supplicationem Omnes ex vtroque Clero tùm Ecclesiestico, tùm Religioso singulæque Sodalitates deuotè prosecuti sunt, omnes sacris induti vestibus, illustriores è suis ædibus. Sanctorum reliquias efferebant.

Totum supplicationi designatum iter erat frondibus, floribusque constratum, tectorum fenestræ parietesque aulæis, & apparatu maximo ornati.

In via verò multa passim Altariola ab vtroque latere collocata, & elegantissimè

exornata, variàque in eis ornamenta erant disposita, & vbi ad aliqua eorum sanctissimum Sacramentum delatum erat, cuncti humi sese prosternentes venerabundi ab Illustrissimo Præsule sanctissimũ Sacramentum exhibente benedictione donabantur. Supplicatio tàm insolita omnium lætitia, plausuque peracta est, vt Ecclesiasticum Triumphum in illa sacra solennique pompa videre te crederes. Absoluta supplicatione in Metrapolitana Ecclesia decantatus fuit Hymnus, *Te Deum laudamus.*

Variæ lætitiæ non mediocris indicia.

Sub noctem verò eiusdem diei Nataliũ B. Virginis ex Vrbana domo in Cœlum emissæ sunt linguæ, & igneæ accensæ faces apparuerunt quamplurimæ, silentium tormentorum per explosionem aperta ora, quæ silentibus tenebris silere nequiuerunt, sed Marianas laudes altiùs intonuêre, & procul distantium incolarum, & varijs in locis dispersorum Ciuium aures læto victoriæ trimphique signo comple-

uerunt. Singuli autem Ciues à Beata virgine collata in eos beneficia narrantes, illius laudes præcinentes, illius nomen extollentes, illiusque numen celebrantes, certissima læiitiæ dabant indicia.

Annua pestis plebẽ, ignotàq; capita inuasit, & humilia tantũ tecta penetrauit, de tota autẽ Nobilitate tres, aut quatuor viros, fœminasque paulò plures, de potentiorib⁹ Ciuibus vnum aut alterum, de forensibus quatuor, de Doctoribus Medicis vnum, de Mercatoribus vix duos rapuerit, quorum spolijs superbiret, si quos autem regendo Ciuitatis nauigio attentos vidit, præstantis animi generosique sanguinis viros, expalluit; & puduit illam suæ imbecillitatis, nec ausa profana manu in tam sacra capita sagittas intorquere, recessit.

In quorum capita Pestis inserit.

Admiratione dignum est, & haud ità facilè credatur populum scilicet inopem, cuius omnis census est in rapinis, cõmercio exulante, fame vrgente, tempore inuitante, & totius Vrbis potiundæ potestate per-

Maxima rerum omnium in Ciuitate copia Pestis tempore.

missa, absente Nobilitate, & forensis turbæ silentio, dispersis militaribus copijs, nihil quemqu ausum fuisse, nihil tentasse.

Nunquam ærarium vacuum, nunquam horrea publica exhausta, nunquã vinum, nunquam frumentum, nunquam caro, nunquam fructus, ijque optimi, & ęgrotis maximè grati, atque salutares Auenione defuerunt; quin etiam omnia fuerunt meliori pretio, quàm in Oppidis, vbi exulabant Primores Auenionenses.

Eminentissimi Card. Legati Barberini insignis admodũ munificentia.

Huiusmodi autem pestilentiæ tempore singularis fuit sollicitudo, & cura, quam Eminentissimus Cardinalis Legatus Auenionensis Franciscus Barberinus suæ clientis Vrbis, & de eius vtràque salute procuranda valdè sollicitus, continuò gessit, quã non probauit tãtùm salutaribus monitis, præclarisque consilijs, & ordinationibus identidem Româ missis, sed eius Iustitię coniuncta beneficentia, & animi magnitudine illustræ liberalitatis, & munificentiæ exemplum præbuit omnium vocibus

celebratum. Magna nimirum pecuniarum summa splēdidâ liberalitate de suo censu summissa in pios vsus, & in eos, qui peste sæuientè sua præstitêre ministeria, magna fide, & æquitate distributa.

Ciuium ex Oppidis in Ciuitatem reditus post pestem.

Pestilentia depulsa statim, ac licuit Auenionenses patrios lares agminatim repetierunt, nemo tamen suas ædes ingressus, & in eas aliquid suorum bonorum, quæ secum attulerār, haud inferebat, quin prius in Metropolitanā Ecclesiā conuenientes benignissimam Principem Mariam anxiam de Vrbis salute venerabundi, humillimas ei gratias agerent. Quæ mammas clypei vice filij telis opponens, cum lubet, ipsum placat, quæ contagij hostis crudelissimi vires fregerat, faces extinxerat, furorem domuerat, victorias obliterauerat, quæ sæpius renascentia funestissimæ Belluæ capita combusserat, & Auenionensem populū à luctuosissimo naufragio liberauerat. Quot mutuę salutationes? Quot gratulationis officia ingentibus be-

Mutuæ redeuntium gratulationes.

neuolentię signis? Quot iucundos Ciuium amplexus? Quot officiosa oscula? Quot effusæ letitię argumenta tunc perspexisses? Quisque quod acerbum passus fuerat, tunc ei referre iucundum erat, & mali sui fine gaudere. Quot casus præter expectationem, quot prodigia, quot morborum portenta, quot clades, quot strages, quot miseriæ vbique grassantes? Quantam denique rerum inexpectatarum, nec præuisarum repentinæ calamitates, perturbationē mentibus inducebant? forsan & hęc olim meminisse iuuabit? O veneranda malorum obliuio, quam es sapiens, & optanda Dea calamitosis, aiebat Plutarchus. Omnes qui præteritas Vrbis calamitates, & ingentia in eam à B. Virgine collata beneficia animo reuolebant, vix se continere poterant, quin has in voces erumperent. Proh Deus immortalis, ad quas ærumnarum angustias, nos, resque nostras adduxerat protentosum illud Pestilentię monstrū, nisi potentior B. Virginis manus illius ca-

Plut, lib. de curiositate p. 5. 22.

pita suis cædibus pullulantia tandem contriuisset; Illa totius nostri Comitatus faciem deformauerat, hæc reformauit; Illa Ciuitatem nostram in profundum desperationis barathrum egerat penè præcipitem, hæc in altissimum spei apicem transtulit, tunc timebat illa feriente, nunc ridet hac protegente, illam vulnerantem erat auersata, ad hanc sanantem est conuersa; Illa Ciues nostros spoliabat, miseros bonis nudabat, vitæ, salutique nostræ insidiabatur; Illa multis beneficijs nos locupletauit, bonis auxit, vitam cum facultatibus custodiuit, languentes suscitauit, fractis animo vires dedit, eius ope Ciuitas nostra penè mortua tandem reuiuixit. Hos inter plausus, lætasque Populi acclamationes vnusquisque benedictionē suis ædibus impartiendam ritu infrà descripto à Nobis enixè flagitabat.

QVÆ IN SACRIS TVM Virorum, cùm Virginum Familijs Pestis tempore contigerunt.

Religiosæ familiæ peste afflictæ.

MVLTA Religiosorum Monasteria vehementer adeò sæua lues inuasit, vt multiplicem, variamque ediderit stragem. Primi furibundos illius impetus senserunt Religiosi sancti Francisci, vulgò Conuentuales, ex quibus duo morbo correpti sunt,& extincti. Tùm Carmelitas, quos vocant Mitigatos immanissima fera inuasit, & repentino quodam impetu turbidę tempestatis vndecim obruit. Posteà in Carmelitarum, vulgò discalceatorum familia pestis est grassata, & tres pestilenti lue mortui sunt. Deinde Fratres sancti Augustini strictoris Obseruantiæ aggressa est, & vndecim ex ijs de medio sustulit. Prætereà Religiosi Au-

gustinianæ familiæ peste conflictati sunt, & duodecim è vita migrarunt.

Religiosa S. Frãcisci de Paula familia à peste immunis.

Mirum est, quomodo toto pestilentiæ tempore Religiosi S. Francisci de Paula pestiferam luem effugere potuerunt. Cœnobium enim illorũ ea in Ciuitatis regione positum est, vt quà ad Austrum respicit valetudinarium pestiferorum Campi floridi habet admodum exiguo diremptum spatio, penèque continuum, quà vero tendit ad ortum, & occasum, vijs hinc inde cingitur, per quas funebria plaustra, lòngàque veneno contabescentia agmina perpetuò tractu ad valetudinarium Campi floridi raptabantur, & tamen, illos excipiendo Religiosos, quos publicæ saluti deuotos lues impia foris inuenit, aliorum intra Claustra cõmorantium inuasit neminẽ.

Domus Probationis Soc. Iesu probatur, sed sine detrimento

In Domo Probationis Societatis Iesu aliquid est admiratione dignum. Hęc enim Domus in eâdem Vrbis regione posita est; & quà Boream respicit, contigua habet Vrbis tecta, quæ communi incendio con-

flagrarunt. Hanc Domum certissimam Pestis prædam nemo non dixisset, tamen (quæ fuit Dei benignitas) dira illa lues, quæ totam viciniam depasta est, ædibus, quas absorptura videbatur, abstinuit, quamuis ad suum factam ingenium nacta esset materiam, prolem scilicet, ætate teneram, totamque tabificis afflatibus peruiam.

Vnum Tyronem duntaxat rei familiaris Adiutorem pertentauit, non tam, vt noceret, quam vt sibi quidem virus adesse, sed abesse nocendi facultatem ostenderet.

Hic Itaque Tyro ipso Cineraliorum die post Diuinam Mensam, se non nihil doloris iam à biduo integro in femore persentire significauit, statim iubetur in secessum deduci, à socio rei Chirurgicæ perito exploratur malum, ad moderatorem Domus refertur, veneni non obscura se prodere indicia, glandulam enim in medio enasci inguinie, quæ si excresceret, haud dubium fore pestilentiæ, vix septenæ ab illa prima

exploratione fluxerunt horæ, cum tenuis illa glandula in eam tuberis magnitudinẽ intumuit, vt pugnũ exæquaret, nullusque Medicorum, aut Chirurgicorum, quibus descriptum est vlcus, dubitauit esse virus, alia tamen omnia pestilentiæ aberant argumenta, capitis dolor exiguus, aut nullus, stomachi rebellio nulla, nulla febris, aut pertenuis, totàq; mali labes intra quatriduum nõ sine miraculo ita absterfa est, vt vires reliquerit ad comitandũ Sacerdotẽ Societatis, qui Diuinis Mysterijs pestilentia tactos indefesso cũ labore vicatim procurabat. Interea tota Tyronũ dom⁹ in Diuina miseratione conquiescens, sparsi veneni euentum præstolatur, cum enim bonus ille Tyro sui mali nescius cum omnibus domesticis frequentiùs contulisset, totàmque Domus suppellectilem pertractasset, magnam vulgati in aliquot capita veneni suspicionem reliquerat; sed Diuina illa benignitas, in qua totam spem suam reposuerat familia, illam ab hoc fecit, & à cœte-

ris omnibus periculis, immunem.

Patres Dominicanæ familiæ seruantur incolumes.

Reuerendi Patres Dominicanæ familiæ pestilentię durante tempore diuino incensi zelo in Christi vinea magna cum laude, & fructu desudarunt, diuturnis, nocturnisque laboribus, pro salute animarũ omnes ad omnia charitatis officia aduolantes, non sine miraculo contigisse credendum est, quod in tam frequenti cõcursu non solùm nulla viderent suorum funera, sed ne quidem vllum è suis aliqua præpeditum infirmitate. Hi fuerunt qui in Campo florido primum agmen duxerunt.

Qui se pio ægrotantiũ ministerio deuouerunt

Venerandi Patres S. Francisci strictioris Obseruantiæ, quos Recollectos vulgus appellat, nullum vnquam laborem, aut discrimen Dei causâ recusarunt, Diuinæ gloriæ accensâ cupiditate flagrantes, incredibili animi magnitudine, studiòque pro salute animarum quæcunque grauia tolerantes, & loca publica pestis tempore ægrotis destinata, tanquam Prouincias sibi comparantes, peste correptos, quorum

cæteri

cæteri vel aspectum ipsum horrere solent, ipsi non æquo solùm, trãquilloque animo, sed hilari, lætoque, & cum voluptate tractarunt.

Patres Capucini magno animo periculum adeunt.

Reuerendi Patres Capucini nulla pericula, nullum genus mortis, vbi vel de cultu Diuino, animarùmque salute agebatur, vel proximi necessitas vrgebat, formidare visi sunt; omnia munia, tàm pro spiritus, quàm pro corporis salute, non solũ in vrbana domo, sed in tota Ciuitate, non minùs libenter suscepêre, quàm impigrè, & magno charitatis ardore obiêre, hanc eximiam eorum charitatem Vrbis admiratio, & approbatio excepit.

Patrum societatis Iesu feruẽs Charitas.

R R. Patres Soc. Iesu in Collegio degentes pestis vix bene-natæ, vel certè primùm adolescentis vbi lethiferas aliquot strages audiuerunt, ad Illustrissimum D. Prolegatum, ad Nos, & D D. Consules aduolantes opem suam, si qua in re esset vtilis, Deo, & Vrbi coram ipsis deuouerunt. Placuit vtrique Magistratui sacro

ſcilicet, & ciuili, tam promptũ obſequium quo breui cœperunt vti. Duo itàque ex illà familià luſtratâ vrbe, ægrotis ſubleuandis dederunt operam; Duo præterea adibant Noſodochium, cui à Campo florido nomẽ eſt, extra vrbem, per aliquod tempus ad domum publicam, pauperum incommoda, & ſi quid ægrotis deeſſet ſignificaturi ſe conferebant, ibique ſingulis ferè diebus ſacrum fecerunt, illorum gratia, qui ad probandam valetudinem in tuguriola ſeceſſerant, donec ſacerdotem deſtinatum haberẽt: hi peccata multorum peſte laborantium, certo tamen interuallo remoti, exceperunt, periculum quippe erat, ſi aliter fieret, ne ſe primùm, ſocios deinde, reuertentes in Collegium inficerent. Hæc prima ipſis demandata prouincia, quam in dies periculoſam magis, ac magis aduertentes, non quidem illis, qui periculo ſeſe obijciebant ſed toti Collegio, cui cauendum videbatur; Conſules ea de re conſultos voluerunt, do-

mumque petiêre, vbi tot habitarent socij, quot Vrbis necessitas exigeret, vt alij alijs sufficerentur, neuè deessent vnquam toto pestis tempore prouisum iri. Locata domo, & suppellectili quàm citissimè instructà, toto pectore, totisque viribus in ægrotorum obsequium incubuerunt; reliqui vero in Collegio remanētes venerunt in partem laboris, nam confitentium peccata quolibet tempore velut affixi tribunalibus exceperunt, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tantę multitudini quotidie præbuerunt, vt multi asseruerint, nunquam tantum sacramenta frequentantium agmen in eorum tēplo fuisse conspectum; Iidem præterea eò vtique ciues cū penuria, morboq; colluctantes conquisitis eleemosinis sustentarunt, consilio fouerunt, & sacramētis munire, litanijs publicè per vicos recitatis recreare, & desperatam penè eorum sanitatem, suo dispendio sustinere non dubitarunt, donec visum est superioribus Collegij aditum om-

nibus intercludere ob mortem P. Antonij Fournier, quem confessiones in templo assiduè excipientem, & gloriosi operis clauum tenentem 23. Martij communis morbus, & pestilens oppressit. Et quod ad miraculum proximè accedit licet tardiùs morbum significasset, neminen tamen infecit; Imo eo tẽpore hunc sustulit è viuis, & fores Collegij obserauit, quo ingrauescens morbus per vrbem eiusdem mortis periculum omnibus creabat: Vnde si pro consuetudine sacramenta ministrare licuisset, quindenis circa sacrũ Pascha diebus omnes ij Patres euidens huius morbi subijssent periculum, si populo liber fuisset templi aditus, quod proindè speciali Dei prouidentiæ tribuẽdum nemo non videt; exinde auditæ sunt in prima Collegij area confessiones, nullo, Deo iuuante, discrimine, exhibitis etiam, vt priùs reliquis charitatis officijs.

Patres Cælestini pesti fores occludentes ser-

Reuerendi Patres Cælestini cum luem ingrauescere, & afflictam Vrbem morbi

accessione, luctùque confectam miserrimè concidere, & Ciuium internecione vastari vidissent, vt ab omni essent contagio penitùs alieni, piè, sanctèque in Cænobio viuentes, ad sua Claustra, nulli quidem extero aditum patere passi, ab omni contagionis suspicione toto pestilentię tempore omninò fuerunt immunes.

uantur incolumes.

Reuerendi Patres Congregationis Doctrinæ Christianæ, vt primùm pestis Vrbem aggressa est, Nouitijs omnibus Collegij cum eorum Magistro extra Vrbem in locum à peste tutum dimissis, cæteros Religiosos saluti animarum deuouêre. Vnus tantum fuit ex eis nomine Geruasius Geneste, Lemouicensis, Sacerdos, qui, vt erat ardenti charitate prędítus, pro Dei amore, & proximorum salute, cuiusuis copiam sui faciebat, in omnium confessionibus excipiendis post habita vitæ ratione sese euidenti periculo exponens, vnde post egregiam nauatam operam, & multos exantlatos labores palma,

Patrum Congreg. Doctrinæ Christ. prouida cura, & charitas

& laurea donatus in Cœlum euolauit. Cæteri autem Religiosi varijs in locis pijs operibus vacantes, mortis, pestisque periculum incolumes euaserunt.

Sancti-moniales à peste liberæ.

Quis non miraretur forocissimam pestis feram in septem sacrarum Virginum Monasteria, tàm diuturno cõtagiosi belli tempore aditũ habere nõ potuisse? & licet tres, vel quatuor illarũ occubuerint, non tamen eius venenato telo. Sacra illarum Claustra tanquam sacros hortos conclusos iam pridem venturæ pestilentiæ timori munierat sacra Virgo Virginum, & suo quasi sigillo sancta illa limina obsignauerat. Noluit Regina Virginum Virginea corpora spiritus Sancti habitacula fœdâ lue conspurcari, castàque mẽbra sordido pestis vlcere coinquinari. Miraculo penè simile crediderim peste non fuisse affectas in tam multis Cœnobijs tot sacras Virgines, quæ ab earũ peste infectis Sacerdotibus, ac Confessarijs, eadẽ die lue correptis, quâ sacram eis Eucharistiam manè ministrauerant;

à venenatis tamen manibus veneno non inficiuntur, immò non mortiferum venenum, ſed Cœleſtem medicinam, non turpem mortem, ſed lætam vitam in medio lethi hauriunt.

QVÆ IN ECCLESIIS
Eccleſiaſtici Cleri contigerunt, & illuſtria nullique paria multorum eiuſdem Cleri eximiæ pietatis, & charitatis Exempla.

EX Clero Eccleſiaſtico multi fuêre, qui afflictiſſimo illo tempore in tanta omnium pertur-bàtione, & trepidatione, quando cuncta cõmiſeratione lacrymis, luctuque digna inſpiciebantur Patriæ labenti forti animo, propenſa voluntate ad omnia pietatis, & charitatis officia, & miniſteria parati in Vrbe ſemper extitêre, haud ſanè minore incitamento priorum quàm egen-

Mira Sacerdotum Eccleſiaſticorum charitas.

tium commodo, neque cæca cupiditate gloriæ auidi popularem administrationem, ac laudes aucupantes, sed Dei duntaxat gloriam, simul cum vtràque proximi salute exposcentes.

Ex Metropolitana Ecclesia Nicolaus Bertet Sacerdos, & Beneficiatus miseræ plebi, quæ ad victum erant necessaria, & ad morbos depellendos opportuna, Ciuitatis pietate, & liberalitate suppeditata summa fide in pauperes distribuit. Nemini in eius charitate cedens, quotiescũque proximi necessitas vrgebat, præsto semper erat, iucundissimoque eius aspectu omnium animos recreare, ac eximio labore cunctos subleuare non destitit; Sed noluit Deus Optimus Maximus seruum suum tàm insigni charitate præditum in tantis laboribus diutiùs permanere, sed ad optatam lauream post quatuor menses deduxit, & prope finem Decembris lue correptus sanctissimè obiit.

Ex Ecclesia S. Agricoli initiò pestis R. Claudius

Claudius Louantius eiusdem Ecclesiæ Decanus omnia loca pestis suspitione affecta, vel lue afflicta obibat frequenter, quotidianaque opera de omnium rerum statu cognoscebat, & in Vrbana Æde quid facto opus esset, renunciabat, hæc per multos menses pietatis suæ exempla edidit: ægritudine postea, & senectute pressus incepta pia opera intermittere magno sui animi dolore ab Vrbe dicedere cogitur; & in discessu agrè admodum à Ciuium complexu diuellebatur, omnibus fletu digressum, discessumque eius prosequentibus.

Reuerendus Raymundus Bordunus Præcentor eiusdem Ecclesiæ, vt absenti Decano succedens primum inter alios Canonicos locum obtinebat, ita in omnibus pietatis officijs succedere voluit. Proinde Xenodochia, & Mapalia quotidiè lustrabat, num aliquid pauperibus deesset, num aliquis Numinis Optimi contemptorem ageret, num aliqua in Deum crimina admitterentur; atque ità per omnia Christi-

anæ pietatis munia charitatem exercebat, egentium necessitati ære publico consulens, mœstis, & afflictis solatia, & subsidia afferendo; Cuius opera toto pestis tempore non minus fuit afflictis solatio, quàm Vrbi adiumento.

Ex eàdem Ecclesia duo alij Canonici Oldradus Bar, & Ioannes Brian, vt se Ciuitatis, velut Optimæ Parentis alumnos meminerant, ità charitatis stimulis, ac amore Patriæ incitatis suæ virtutis, & pietatis in omnes documenta præbuerunt, & vt eximia eorum fuit de omnibus bene merendi cupido, & prompta voluntas erga publicum obsequium, & sacrarum Virginum curam, ita ardens salutis animarum studium nullum periculum reformidantes, nisi quod Diuino obstaret obsequio. Qui tandem cum morbo, & morte luctati obdormientes in Domino, Terrenam cum Cælesti Patria commutarunt.

Cœteri autem Canonici, Benficiati, &

Ministri, non tantùm aduersus furentes pestis impetus interriti Diuina officia non intermittebant, sed publicè in eorum Ecclesia quotidie,eodemque modo, quo ante pestis aduentum piè celebrabant, sed immenso quodam charitatis studio,& Christianæ beneuolētiæ fraterno ardore incensi ad omnia pietatis officia, ità prompti, & alacres se præstitêre, vt, cum aliquis ex suis in morbum incideret, vltrò se pio famulatui deuouerent, vt præ cæteris non minus charitatis ardore, quam animi magnitudine constanter egit Dominus Ioannes Constantius eiusdem Ecclesiæ Beneficiatus in morbo Domini Brian Canonici, cui intrepidè, & cum aperto vitæ discrimine ministrauit,& in præmium suę charitatis, & Christianæ constantiæ à morbo semper immunis fuit.

In Ecclesia Sancti Petri Dominus Guigo Melua Canonicus ad omnia charitatis officia pro pauperum beneficio semper paratus fuit, & per multos Menses

magnam suam charitatem adDei gloriam; & ægentium vtilitatem exercuit.

In Ecclesia Sancti Desiderij Dominus Petrus Pandrauius Præpositus nullum vnquam laborem, aut discrimen, Dei causa, & Patriæ amore recusauit toto contagij spatio. Neque vnquam Vrbi defuit studium, & sollicitudo aliorum Canonicorum eiusdem Ecclesiæ, tàm in Diuinorum Officiorum celebratione, quàm in nonnullis alijs charitatis,& pietatis officijs

In cæteris Ecclesijs nunquam Diuinus cultus prætermissus, nunquam diminutus fuit, nunquam maiorum Templorum fores obseratæ fuerunt, excepto tempore quo illarumMinistri lue affecti,ab aliorum consuetudine, commercioque abstinebãt,& intra Ecclesiæ sępta se cõtinebant.

Omnes Vrbis Parochiales,&Collegiales Ecclesias sæua lues inuasit, & quasi perniciosissima vipera veneno suo ibi quamplurimos infecit, & peremit, atque aliqua in singulis spolia reportauit.

In Sancti Agricoli Tutelaris Auenionensis duos Canonicos supra laudatos, & binos Beneficiatos.

In Sancti Petri duos quoque Canonicos, & tres Beneficiatos.

In Sancti Desiderij tres Canonicos.

In Sancti Genesij duos Canonicos.

In Sanctæ Mariæ Magdalenæ Archipresbyterum, & vnum Canonicum.

In Sanctæ Mariæ de Principali vnum Canonicum.

In primario autem Templo Sanctæ Mariæ de Dons,ad quod quotidie magnus Auen. ad orandum , & exorandum ipsam Sanctissimam Virginem fiebat concursus, impia horricida, matricida, parricida furiarum immanissima , bellua feracissima pedem inferre haud ausa est , & iure optimò expauit Sacras huiusmodi ædes à Christo consacratas (vt Pontificia testantur díplomata) Sacratissimæque Virginis tectas clypeis ferire,suas arces oppugnare aut ínuadere suos Ministros ibidem com-

morantes, qui Dei amore ardentes, & eiusque Sanctissimæ Parenti obsequijs addicti, Diuina Officia quotidie celebrantes, ærumnarum, & periculorum erant contemptores. Indignum enim erat in sacratissam illam domum, vbi vitam à lue immunem singuli à B. Virgine exposcebant, funestæ morti aditum patuisse.

Parochorũ charitas & diligentia.

Parrochi omnia munia illo calamitoso tempore suscipienda, & in fidei eorum concreditorum salutem, omni studio, & opera esse incumbendum, existimarunt, & pectoris sui inuictum robur exhibentes, non solum ad omnes labores Dei causa fortiter sustinendos, sed quæcunque pericula subeunda cõstantissimè professi sunt: Et dum per omnia ferè charitatis munia magna eorum pietas, & solicitudo vagabatur, dum consilijs, monitis, & sedulitate omnes iuuare, mestis, & afflictis, solatia, & subsidia afferre; dum afflictorum subleuare morbos, eisque omnia spiritualia adiumenta ministrare, moribundos roborare

ad vltimum illud certamen, discrimenque summa ope connittuntur, ipsi in morbum incidunt, & præter Dominum Nicolaum Caulauerium Curatum Sancti Agricoli à lue omnino immunem, & Dominum Gaspardum Arnoux Curatum, & Canonicũ Sanctæ Mariæ Principalis, egregiam piorum Ecclesiasticorum Ministrorum (quantum fas est) virtutem semper emulatum lue affectum, & refectum: cæteri præpotenti Deo, cui totos se dederãt, atque dicarant, post tot egregios corporis labores, viam vniuersæ carnis ingressi animam tradiderunt.

MIRANDVM IN VALE- tudinario Campi-floridi Religioſæ charitatis ſtudium.

Mirandu Religioſorũ zelus.

CVM ſe prima mali labes Auenione prodere cæpit, & ab Illuſtriſſimo Archipræſule Prolegato cuncta ſpiritualia adiumẽta conquiſita, &præparata fuiſſent, omnes Religioſæ familiæ, quæ ſe in charitatis officia natas agnoſcunt, non tantum diuinis Sacramentis populum reficere, cæteriſque ſacris rebus ſubleuare ſe quoque promptas eſſe profeſſæ ſunt, ſed nonnullæ vltrò vel ad Illuſtriſſimum Prolegatum, vel ad Nos ſupplices acceſſêre, vt omnia ſua ſtudia, labores, atque ſalutem pro miſerorum ſolatio, publicàque ſalute deuouerent, tantoque animi ardore ſuum quiſque caput in tàm honorificum munus optabat

tabat esse sacrum, vt cum tot occupandis, tàmque egregijs operarijs satis amplus non esset campus, qui primum locum non impetrarant, saltem, vt in vacuas deficientium vices sufficerentur, enixè contendebant.

Eorum in primis eluxit pietas,qui valetudinarij, cui à Campo florido nomen, prouinciam sunt sortiti; in locum enim illum iam lue horridum, & quem veriùs sarcophagum, quam spirantium domicilium dixeris,eâ gestientis præ gaudio animi significatione sunt ingressi, qua amænitatis studiosi sua viridaria, aut instructos ad voluptatẽ hortos subire solent: statimque sese ad charitatis opera accingunt,alij confitentibus aurem dando, alij cælesti pœnitentia expiatos sacro pabulo refouendo, oleòque Sancto ad extremam luctam confirmando, alij moribundis spem excitando, alij cum morbo luctantes cohortationibus iuuando, alij ægrorum corporum sordes abstergendo, alij lineas eorum la-

uando vestes, alij coquendo, & cibos condiendo, eosque comminutos in eos inserendo, alij medicamenta, ac sorbitiones sua manu languentibus præbendo, mæstos benignè solando, ad vtriùsque salutis spem excitando torpentes, alij abiectíssima quæque ministeria Christianæ humilitatis rudimenta exequendo, & omne aliud obsequij genus, quod à famulis valetudinarijs solet circa ęgrotos exhiberi subeundo: Nihil terroris facit lèthifer halitus, qui de venenatis pectoribus proflatur: Nihil horroris inijcit copiosa sanies, quæ de vlceribus defluit: Nihil nauseæ creat, quæ totis ædibus tetra mephytis incubat. Insigne benignitatis, virtutisque non vulgaris specimen dantes, formidine in misericordiam versa satis gnari martyrij genus esse humanæ salutis causa pestilentia affectos omni opere iuuare. Viuunt cælestes illi viri in medio veneno vegeti, in medijs lethi cladibus læti. Quam enim mentem incendit charitas, teste Apostolo,

nullum timoris gelu patitur experiri. Cunctis horis ingruenti ægrorum periculo eorum celeritas obuiam ibat. Ipsorum lectus multoties ad pedes eorum erat, qui fædam impendentis mortis faciem ante oculos habebant, nullamque penè partem quietis capiebant.

Post operam ægris impensè datam, si quos perditos homines ibi perspexerant nunc comiter de ipsorum vitijs admonebant, incusso nunc proximæ mortis, nunc gehennæ terrore à flagitijs reuocabant, si quos arrogantia, aut improbitate in alios peccãtes, & eorum correctione abutentes agnouerant, aliquid contra illos seueritatis assumebant, & quos demum insolentia, pertinaciàque turbulentos, & arrogantes faceret, & contumaces, vesanos illos spiritus grauiter comprimi, retundique curabant, & si opus erat à Superioribus seueritate, & animaduersione corrigi, vt virga disciplinæ huiusmodi ingeniorum peruicaciam domaret.

Salubrium rerum ignaros, ſimul Religionis noſtræ Myſterijs, præceptiſque imbuebant, ſimulque ad Chriſtianæ vitæ rationem aptis ſermonibus accendebant. Aliquot dictos pios Patres virus tentat, ſed virus ſternere nequit. Recreati enim illi, deque triumphato morbo ſecuri, omnia charitatis officia denuò ſtrenuè repetunt. Nonnulli ab omni cõtagionis labe intacti per octonos menſes, & vltra in ſuis continuis laboribus non ſine magno omnium ſtupore durant. Qui contagione capti, & ſemel euaſerunt, adepti poſtea ſanitatem eodem morbi genere non ſunt implicati, & tam firma valetudine intrepidè famulati ſunt, vt nihil peſtilentiæ contagium timentes, cunctas cautiones, quibus alij aduerſus peſtem vtuntur, quaſi turpè aliquid fugêre, & crederes longa aſſuetudine aduerſus venenum obruiſſe, aut veriùs in premium ſuæ charitatis Cæleſti quodam antidoto iuxta Chriſti promiſſum, fuiſſe præmunitos, & ſi mortiferum quid bibe-

rint, non eis nocebit: nihil nisi venenum spirant, & hauriunt, & nihil vegetius illis, hilariusque cerni potest. Nullum Nosochomij omittebãt angulum, quem cunctis per omne obsequium mira comitate inseruiendo, non perlustrarent oculis,& proximorum charitas haud fortior, quam solertior fuit. Paucos quos infra recensemus abripuit vis morbi, sed quibus differre lauream Cælum diutiùs non potuit. Isti qui superstites fuêre, nouam semper suæ charitati materiam quærentes libitinariorum partes, vespilonumque suscipiunt. Animaduerterant scilicet id genus hominum, quod ad id officij relictum erat, esse proiectæ audaciæ, & ad omne facinus parati, suum laborem multiplici præmio vendere, infectas ædes expilare, turpiter euadere cadauera, inhumata relinquere,& id genus horrenda perpetrare. Illi igitur (dimissis istis venalibus, facinorosisque operarijs) generosè manum ad opus admouent, vita functos in sinus excipiunt, in

sindonem honestè insuunt, quibus id officij negarunt consanginei, in feretrum aut plaustrum funebrè imponunt, funus ad destinatum sepulturæ locum præeunte Cruce, luminibus accensis, cæterisque ceremonijs, statoque omni ritu Ecclesiastico deducunt, plaustrum onerant, humo cadauera cum honore mandant, & contempto solis ardore vniuersam vrbem feruidis vijs cursitantes, æstuantes, & sudore penè perpetuo fluentes. Ea erat talium, tãtorumque Religiosorum tantopere semet abijcentium, & fatigantium species, & tantam cunctis aspicientibus admirationem mouebat, vt obstupescere omnes viderentur, & crederes illos non frangi laboribus, sed roborari. Quaternos integros Menses, quibus diriùs sæuit lues, in hoc pietatis officio persistunt, quod superstites Ciues tanto cum solatio aspiciebant, vt passim iactarent nullum sibi nunc ab horrenda lue horrorem, nullum à morte timorem, lætos se, & luem, & valetudinarium,

ipsumque sepulchrum subituros, quandoquidem certi essent se pro libitinarijs non scelestos, sed Cælestes, & Angelicos viros esse natos, sic in Florido campo Religiosorum excurrit pietas.

Primus ex Religiosis Patribus Campum floridum charitatis Sacrarium ingressus est Reuerendus Pater Petrus Bastida de sacra Diui Dominici familia, vir non minus doctrina, quàm pietate insignis. Hic quadragesimo secundo à suo ingressu die primum cepit veneno pertentari, quod iàm per totum illud spatium semper saluus, & integer hauriebat, pestiferis confitentibus aures dando, pascendo Cælesti pabulo, oleo Sacro ad extremam luctam vngendo, septimo quo peste correptus est die, sublatus est: paucis verò ante obitum horis in phrenesim vsque eò vehementem incidit, vt omnes adstantes horrore repleret, clamores adeo inconditos edebat, vt luporum ritu vlulare videretur, cumque mitigãdi furoris causa, illi Christi D. pendente de

Cruce effigies esset oblata, illã vrgente rabie de manu prætentãtis abripit, & continuò in frusta cõminuit: procidũt in poplites, qui illi aderant boni Patres leniores dolores tã bene de valetudinario merito viro precaturi, breuique suarũ precum sensêre fructum, posito enim morbi furore, sibi restituitur æger, placidaque, ac firma voce cum incredibili omnium stupore, & gaudio hæc pauca locutus est. Bene habet, Deo sint gratiæ, iam tuta est salus mea, geminos de tartaris satallitibus benignus Dominus mihi permisit, qui mihi adhuc in hac vita detento acerba purgantium flammarum supplicia incuterent, ad expiandas aliquot superbiæ, & ambitionis noxas, quæ alias commiseram, hæc cum absoluisset, breui interjecto tempore suam de corpore solutam animam, circa meridiem in manus sui commisit conditoris.

Dum Pater Bastida lecto afflictus luctaretur cum letho, Reuerendus P. Iosephus à Iesu Maria sæuerioris disciplinæ Carmelita,

lita, cum socio F. Simone à S. Donysio, aduenit subiturus pro Christo munia, & pericula Patris Bastidæ iacentis. Eodem prope tempore de varijs Vrbis regionibus aduecti sunt Reuerendus Pater Proprior restrictioris Augustinianorum familiæ, Frater Laurentius de la Court eiusdem Ordinis domesticus adiutor; & Proprior antiquioris Augustinianorum Cœnobij, omnes afflati lue, cui, dum primos in Vrbe tactos iuuabant, sese exposuêre. Pater Iosephus decimo tertio quàm ingressus est die, virus sensit, sed breui, singulari sacræ Virginis ope, cui quotidie coronam precariam pendebat, est omnino de morbo recreatus; eius verò socius Frater Simon fato concessit, vaticinium quod præsenserat, impleturus, octo enim ante obitum die, in sacello Beati Rochi, cum adhuc illibata esset valetudine, præsaga mente dixerat, se intra octiduum in cadauer, & saniem abiturum.

Ægrotantium de Vrbe aduectorum fit

maior in dies numerus. Itàque in auxilium sacrorum Ministrorum veniunt de Cœnobio Patrum Recollectorum Pater Bonauentura cum Fratre Dominico Martino socio. De Minimorum familia Pater Honoratus Pazerius, qui omnes magno animi ardore se ad officia charitatis accingunt, multàque apud omniũ pectora suæ singularis virtutis monuméta relinquunt. Decimũ ab ingressu agebant diem præfati, duo cum Patre Bonauentura primos pestiferæ febris ardore experiri cœpit, qui intra breue tempus vsque eò increbuêre, vt semoto funere grauiores esse nequirét. In tantæ inualetudinis acerbitatibus, quæ aliud pectus ad insaniam impulisset, nunquam Religiosus Pater ab officio Diuino in B. Iosephi cultum instituto destitit recitando, iuxta votum, quo se paucis ante diebus sacro illi Beatæ Virginis sponso deuinxerat. Nec suarum præcum fraudatus est fructu. Dum enim se ad Diuinum ferculum excipiendum comparat, cum vix ante posset caput

erigere, ita se repente firmum, ac vegetum sensit, vt de lecto nullo labore prosilierit, à sene quodam longa canitie venerando sustentatus, quem magnum Iosephum fuisse pium est credere? statim verò, atque Diuinum cibum in stomachum recepit, nouo gestiens gaudio, in illa clarorum virorum corona exclamauit: Deus bone saluus sum, & incolumis, ab eoque momento tanta facta est morbi mutatio, vt intra paucos dies intermissa exercitia charitatis maiori quam nunquam ardore animi repetierit.

At Reuerendus P. Honoratus Pazerius Minimus decimo tertio die à subitis charitatis officijs peste tactus est, & intra triduum extinctus; quandiù laborauit, semper habuit mentem in Deo fixam, & paulo ante obitum ad patrem Bonauenturam, tum grauissimè afflictum conuersus, extremùmque salutans, ait, ad Dominum meum totius vitæ rationes positurus discedo; his verbis vitam clausit.

Quod spectat ad Fratrem Dominicum Patris Bonnauenturæ socium, toto tempore quo seuit lues, in continuis laboribus per medium venenum exhaustis, illibatus semper, vegetusque durauit; Iam obfirmatum aduersus pestilentiam gerebat corpus ab eo tempore, quo Parisijs in Diui Ludouici valetudinario per duos continuos annos pestiferis intacta valetudine ministrauit.

ILLVSTRIS QVORVNDAM Religiosorum, tùm ægrotis in Vrbe famulantium, cùm extra Vrbem excurrentium charitas.

Patres Soc. Iesu illustria tunc vt semper solent, charitatis exempla prebuere.

ALII fuerunt Religiosi, qui Prouinciam Vrbis mœnibus definitam sortiri, nullis circumscriptam finibus charitatem prodiere, inter quos primum locum obtinent, Venerabiles Societatis Iesu & perenni laude dignissimi Patres, qui in vniuersa Vrbe tàm lue affectorum, quàm suspectorum, & insanabilium curationum in Sacramentis administrandis, cæterisque spiritualibus auxilijs ope laborantibus, optatam victoriæ sui materiem sibi ipso vltrò deposcunt, nec minore animi ardore eam prouinciam ge-

runt; quam expetunt. Primus, qui sanctissimum huiusmodi munus est aggressus, fuit Pater Ioannes Stella; qui in tot profundis, quibus Vrbs tota cingebatur calamitatũ tenebris, noua stella ad illustrandos eos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedebant, oriri visa est, & prodigij loco est, vnde tantæ illi vires sufficerẽt, quæ toties, tot, ac tanta vno tempore onera subiret. Vidisses illum Angelicum virum prono capite, concitato gressu, sudore toto perfuso vultu, vicos omnes diu, noctuque percurrere, hic penitentes excipere, hic confitenti aures dare, hic Eucharistia languentem pascere, alibi vngere moribundum, mox in hac Vrbis regione laborare, & statim in aduersam vocari, per ostia, per vicos, & per diuersas Vrbis regiones suam charitatem sanctissimè prodigendo, & Diuina charitate præualidam naturam accendente vigorem concipiebat tantum, vt Dei causa, vnus omnia quodammodo efficere, & vellet, & posset.

Huius insignis Patris aspectus adeo erat iucundus, vt non solum ægris, sed cunctis afferret solatium; mira in eius ore hilaritas, in congressu facilitas, in consuetudine, vsuq; suauitas. Ægris lue cõfectis impensiùs eis ministrare institit. Hic Pater fuit prudentiæ singularis, doctrinæ præcipuæ, animi ad omnia pericula parati, & armati, expertus varia hominum ingenia, ad missiones omnis generis, & majoris momenti olim electus, in Gallias siquidem frangendæ hæreticorum pertinaciæ, & fouendæ Catholicorum pietati sæpius, in Armeniã semel illustrandis Ethnicorum tenebris destinatus. Heliopoli (vulgo Alep) reuersus ea mente, vt confectis negòtijs quæ ad illius gentis bonum spectabant, vel maximè, iter remetiretur suum, diuina Prouincia Auenione remorata est, ne imminentem capiti suo coronam perderet, aliam quæstiturus in locis tam remotis.

Egressus est igitur Reuerendus Pater è suo Collegio die 12. Nouembris 1629. cum

Coadiutore socio Petro Guye, qui huiusmodi beneficium, ità vocabat, non petijt, sed ambiuit, reuersus Caderossa, vbi simili pietate, pro lue laborantibus aliquot menses posuerat. Hoc socio, & facem deferente, Pater Stella Diuino incensus zelo obibat vicos, ægrotantibus, & bene valentibus omnibus solatio erat, periclitantibus, & in periculo iam versantibus pro virili parte auxiliabatur, pauperiorum inopiam corrogata apud ditiores, & magis pios, stipe subleuabat. Sacramenta, & ægris, & expectantibus ægritudinem prudenter, piè, & religiosè impertiebat, cum ecce tibi sub finem mensis laborum comitem afflatum videt, allata omnis generis remedia è Collegio ipsemet ea porrigit, quin etiam tractat lethifero veneno tumidum corpus, & quoniam non adest alius, Chirurgum agit, si fortè curare possit languentē tentat, contendit quantum potest, rogant omnes sibi consulat, & Vrbi, tantisperque secedat, & alijs permittat id officium, preces non

non audit, in pia pertinacia ſtat immotus, certũ ſibi eſſe non relinquere fratrem proteſtatur. Nihilo tamen minus & vita, & miſſione ſua defungitur ille 4. Decembris, à ſe optata, atque etiam præuiſa die. Pergit in ſuo curſu alio adiutore ſocio, cui nomen Iacobus Collas peſtis egregius contemptor, cuius nullum ſpiculum expertus eſt, licet multùm, diuque ægrotantibus domeſticis inſeruierit, atque etiam tria Cadauera extulerit propria manu cõſuta; At noluit Deus curſorem inſignem gyris iam multis euolutis, alios meditantem, & molientem diutiùs in longo tam multiplicis laboris ſtudio permanere, ſed ad optatam metam pertraxit coronandum; nam menſe muneris expleto, cadit, decumbit, ſuccumbit: pridie idus Decembris. Nihil non tentatum, nihil non factum à ſocijs, vt eum redderent ſibi, & Populo Auenionenſi cui quantæ nuper conſolationi, & vtilitati integra Patris ſui valetudo fuerat, tãto, vel potius maiori fuit dolori eiuſdem

ægritudo repentina. Nihil omissum eadem de causa à Consulibus, qui locatis pro suo Nosocomio Chirurgis alioquivalde peritis nolentes vti, ex duobus Villæ nouæ expositis, quibus magis fidendum videbatur ob diuturnam in morbo illo tractando experientiam, vtrumque alium post alium euocarunt, quorum alter quintam valetudinis aduersæ noctem omniū periculosissimam habitam cum Patre duxit insomnem. Vicit tamen omnia remedia pertinax lues, corpusque mille priùs doloris infandi facibus combustum, mille supplicijs dilaceratum, & vt (sic dixerim) excarnificatum nobis eripuit 18. Kalen. Ianuarij, sed animum inuictum iuxta, ac pium nec fregit, nec vulnerauit, nec attigit, mentis nunquam non fuit compos (quod rarū sanè in tantis, quantis vrebatur doloribus) pietatis nunquam immemor, nunquam quieuit, in alijs omnibus patiens supra modum vir, hic piè impatiēs, donec missus est quem semel, iterum, tertiò, sæpius qua-

draginta horarum, spatio vocandum curarat Patrē, cui charissimos suos filios pauperes Auenionenses commendaret, cui suum committeret gregem, cibis quà Diuinis, quà corporeis, cum liceret alendum quantotiùs, veritus magnoperè ne vel ipsorum vnus obiret inexpiatus, à quo tandem, & ipse reciperet Sacramenta. Aduolauit vocatus Pater, & alterum tantum diem ęgrotantem iuuisit 14. Decembris, & Sacramento pœnitentiæ abluit sub meridiem; deinde accepta aliqua, quæ ibi supererat eleemosinæ nomine collata pecunia, quam erogaret inopi turbæ, prædecessoris exemplo Prouinciam suam, duce Deo inijt, & ante noctem ad quatuor, & quadraginta confessiones excepit. Postridie, matutinis horis sancta Eucharistia feliciter munitum athletam more Christiano vnxit. Quantas porrò lacrymas emiserit, pauca in sæculo præteritæ, pauciora in religione peractæ vitæ peccata expromens, non est in prōptu dicere: Quanto amore Domini sui suscipi-

endi arserit, ex eo colligatur, quod non contentus accepisse semel tam sacrum Cibum 15. Decembris in remota satis domo commorantem socium 18. eiusdem mensis 2ª. post mediam noctẽ hora accersendum mandarit, quo iterum sibi porrigeret suas delicias, nec dum satiata fame eiusdẽ diei hora decima vespertina, Sacerdotem ad se denuò vocatum intuitus, suauissimis illis vocibus idem beneficium exorarit (forsitan & adhuc vna vice bonus meus Dominus ad seruum suum venire velit). quanti Societatem Iesu faceret, quam sibi institutum Religiosum placeret, tum demonstrauit, cum sua sponte nemine impellente, accepto salutari ferculo sępe alijs iteratam votorum suorum formulam magno pietatis sensu postremum iterauit; qua fidei luce fulgeret, tunc patuit, cũ rogatus, nùm crederet in Deum: Credo, inquit in Deum, & insuper credo omnibus, quæ credit Ecclesia, renuntioque omnibus, quæ sunt contra Ecclesiam; vix ipsi eo temporis vitæ vna,

aut altera hora supererat; Quam videndi Numinis Æterni cupidus extiterit, momento illo demonstrauit, quo antequam Christum vltimò exciperet, piè simul, & frequentis impatientię veniam deprecatus est à Deo, & cōfessus Sacerdoti, qui terras perosus, Cælos identidem ambibat. Idem docuit, cum paucis antè diebus eundem Sacerdotem sibi Patrum, & Fratrum orationes promittentem, sic audiuit, vt etiam, atque etiam obsecraret, obtestaretúrque, efficeret omninò ne quis pro sua valetudine funderet præces, quibus proficiscendum in patriam tantillum retardaret, ità cupiebat dissolui, & esse cum Christo: Qua patientia dolores Christi exemplo ferret, si quando se offerrent, patefecit cum hærentem Chirurgum in carne plurima extrahenda, generosis hisce vocibus excitauit, abscinde, abscinde, longe maiora perpessus est Redemptor meus. Vix biduum ægrotauerat strenuus ille dux, cum ei suffecti sodales duo Patres Philibertus Serué,

& Gabriel Goussetus, hic inter Collegij adiutores temporales siue indolem, siue pietatem, qua præditus erat singulari, spectes, numerabatur; Ille annum integrum R. Patrem Prouincialem nondum grassante in Ciuitate Auenionensi peste, binis literis, flexo poplite coram sanctissimo Sacramento scriptis, sibi, vt liceret, pro salute proximi (aut Lugduni, aut Auenione, si eo perueniret flagellum Dei) quod reliquum erat vitæ periculo pestis opponere, vilique anima vti censebat pretiosam alicuius è socijs redimere, pro pauperibus saltem; si ad nihil aliud videretur idoneus stipem publicè cogere, flagitauit. Rectoribus se duobus, quos per id tempus habuit, non semel obtulit quotidie Virginem sanctissimam precatus, quò votorum suorum modo Deo placerent, compos fieret.

Ingressus certamen 14. mensis Decembris ad 6. Augusti (si quindecim dies ægritudinis exceperis) pugnauit in tam nobili

arena, necante recessit quam pestem ferale monstrum, profligatam vidit penitus, atq; confectam, quo toto ferè tempore (vt gratam superis in eo eligendo superiorum mentem fuisse videas) vno sæculari seruo vlel Religioso socio comitatus, solus Sacerdos Vrbem singulis diebus etiam non vocatus quam sæpissimè lustrauit, confessione purgauit, sacra Eucharistia refecit, oleo Sancto perunxit, quotquot occurrebant, & volebant, quin etiam non rarò malè renitentes Deo bene iuuante ad munus suum pertraxit, matrimonij futuri laruam suam libidinem tegentes, legitimè copulauit, pueros recens natos lustrandi ritum non sine fructu, & euentu prospero aut prægnantes, aut earum maritos edocuit, & ipse aliquando lustrauit, denique quandiù hoc munere sanctissimo functus, vel nemo sine sacramentis extinctus est, vel non maturè petijt, vel rogatus oblata recusauit, meridie, vesperi, mane, nocte, interdiù quocunque tempore, si quis ad

ægrotum vocauit, præsto adfuit, mensam, lectum, officium, imò, & sacrum semel oblatione facta (quod sæpius fecisset, si res tulisset) reliquit; At quoniam virtus in infirmitate perficitur, ipsum peste tentatum voluit suus Imperator, tùm, vt vndè tam altos spiritus hausisset, vnde vires tantas accepisset, quo auxilio fultus tandiù stetisset, confecto spatio suo agnosceret; tùm vt ægrotantibus magis, ac magis in dies condoleret, & in ijs maiori conatu iuuandis allaboraret. Iacuit ergo in lecto ad 10. vel 11. dies, quibus elapsis post biduum, aut triduum princeps Vrbis templum rupi altæ in ædificatum Sanctissimæ Virgini (cui sacrum est) gratias acturus, quod serui sui Patris Petri Fabri (qui primus B. Ignatij socius, primus Theologus, primus Sacerdos de Societate Iesu fuit) pro se loquentis preces audisset, petijt lætus, & alacer admodum, votique reus ædiculam, vbi natus magnus ille vir in sacellum côuersam, & à piæ memoriæ Francisco Sales Gebennensi

nensi Episcopo consecratum inuisere breui vt posset, summopere exoptauit, quippe præsentem ipsius opem, vti expectabat, quin expertus esset, dubitare numquam potuit, imò quamquam de sepultura ipsius, qui domi aderant, approbāte Chirurgo inter se contulerint, moriturum se eo morbo nullatenus credidit, sed infixis subinde in Patroni sui ad pedes Mariæ aduoluti, & orantis tabella luminibus respirabat, & sperabat valetudinem, cui etiam, & Latinos, & Gallicos versiculos, inter furentis morbi æstum ardentiore pronunciabat, quod cum redeunti ex Vrbe successori suo, & petenti, ecquid valeret? significasset, recessit ille extemplò, aliena locutum ratus, ne maiorem, vt fit, delirandi ansam examinando delirium præberet, neque ante mentem illam deposuit, quam plane constitit rêi veritas, numquam videlicet audierat ab homine pessimè affecto, & ad hiantes mortis fauces feré constituto, concipi, decantari, & titubanti ma-

nu scribi posse carmina.

Huic auditis intra octiduum 276. confessionibus deficienti, vrbique cum peste confligtanti Pater Bouier paratus iampridem, & armatus, atque ita diuturnis, & sæpe iteratis ipsius precibus, ardentique desiderio subeundæ proximi causa periculosissimæ aleæ factum satis. In peruigilio Natiuitatis Christi Domini, tanta animi alacritate hoc onus in se recepit, vt testatus deinceps fuerit se nunquam liquidiorem animo hausisse voluptatem, eo mortis contemptu, vt extra omne periculum fuisse dixisses, licet non multis interiectis hebdomadis Gabrielem Gousset ritè omnibus præsidijs anima munitum Deo charitatis victimam præmisisset 18. Ianuarij; nec ipse tamen à communi lue fuit immunis; nam sub id tempus, quo Patri Serué licuit per valetudinem intermissa pietatis officia restaurare, Pater Bouier pestem contraxit, è qua iam penè cum morte colluctans, conualuisset nunquam, nisi humanis remedijs

frustra adhibitis, ad Diuina conuersus P. Petri Fabri implorasset opem, & sensisset, in quo est sanè, quod mirêris Dei erga nos prouidentiam, quę vtrumque eodem tempore communi morbo noluit implicari, ne ægri ab eorum consortio coniuncti, & Sacramentorum subsidio destituti miseram vitam inter spirantia càdauera traherent. Ambo igitur sanitati redditi, redduntur peste affectis, quos non priùs deseruerunt, quàm eos morbus deseruerit, vel ità remiserit, vt re primùm cum Superiore communicata, tum ad vtrumq; Magistratũ delata cõmuni consensu statutum fuerit, P. Serué solum relictum, ea omnia ritè præstare posse munia, quæ Religiosa charitas, Vrbis necessitas, & paucitas ægrorum exigere videbatur, cui decreto acquiescens (licet ægrè) Pater Bouier simul cum Iacobo Collas ad quadraginta dierum secessum se recepit, alterum relinquens Patrem, qui postea, fructu non pœnitendo, diligentia stupenda, & summa totius Populi appro-

batione Vrbi laboranti ſuppetias tulit.

Miranda quorumdã Religioſorũ ſed præſertim Patrũ Capuccinorum pietatis officia.

Nonnulli alij Religioſi charitatem ſuam prodidêre panibus, alijſque ad victum neceſſarijs rebus, miſeræ plebi diſtribuendis, & eo fructu, quem nemo neſcit, cum alij ſæculares hianti auaritia, quæ manibus verſabãt, pauperibus diſtribuẽda maximo cum illorum detrimento diriperent. Qui in huiuſmodi miniſterijs egregiè laborarunt, & multis exhauſtis laboribus cumulatiſſima laude floruerunt Patres Capuccini extitêre, ſed P. Bernardus de Guillaume inſigni quadam pietate, aſſiduè enim ſine vlla defatigatione, aut ſatietate non ſolum in illa Chriſtiana charitatis munia intentus, nihil pretermittebat eorum, quæ inopis ſalutaria, & Deo grata conſtabat eſſe, ſed nouas ſubinde excogitans iuuandorum hominum rationes, quod ſupererat temporis poſt panis diſtributionem in ægrotorum corporum cura, animarum ſalute, impenſè ſimul, & hilariter abſumebat, aliàs mæſtis, & afflictis ſolatia, & ſubſidia affe-

rens ,aliàs moribundos roborans ad vltimũ illud certamẽ, discrimenque,nunc excipiẽs paccatorum confessionem , interdum consulentibus de rebus salutaribus respõdens.

Nonnulli alij fuerunt suffitibus purgandis ædibus præpositi , qui quidem laicorum,qui antea etiam domos purgandi munere fungebantur,sordibus,alijsque quamplurimis magna eorum integritatis fama, consuluêre incommodis,quæ in afflictorum ædibus in dies eo tempore audiebantur. Vnde superstitibus cum coniunctorum , & bonorum quoque amissione calamitas augebatur.

Religiosorum purgãdis ædibus præpositorũ humilitas maxima nec minor cum fide cura.

EPITOMÆ JNSIGNIORVM rerum, quæ in Valetudinario Campi-floridi euenêrunt.

Mira duorum Sacerdotum vigilantia.

ADMIRATIONE maxima dignum est, quòd duo scilicet sacerdotes ad Campi-floridi valetudinarium, vbi ad id octingentos simul ægrotos aliquando iacuisse ferunt, omnes omnino ità abluerint, vnxerint, sacra etiam Eucharistia (si nihil grauioris momenti impediuit) refecerint per decem, aut vndecim mensium spatium, vt ipsorum culpâ non expiatus, ieiunus Cœlestibus epulis, aut non vnctus decesserit nemo.

Insignis multorum virtus, & charitas.

Admirabile quoque est, multos extitisse ex vtroque Clero, qui, vt erãt generosi quidem pijque animi, ac spiritus, ita Christiana

humilitate conſpicui, qui nullum officij genus in eodem valetudinario quantumlibet vile, & abiectũ, quod ad ægrotorũ vel ſpiritus vel corporis ſalutem conduceret, recuſarunt ſponte ſe ad omnia valetudinarij obſequia offerentes, abiectiſſima, & viliſſima quæque munia, velut honorem maximum complexi ſunt, vlceroſis eo impenſiùs miniſtrabãt, quo magis ab illis abhorrebat animus; miras ibi pugnas ediderunt, nobileſque de ſe ipſis tulerunt victorias. Cœrcebat ratio contumaciam naturę, & peſtis illius horrorem virtus Diuina ſuperabat. Vrgebat vlcerum fœditas, valetudinarijque grauitas odoris, adeo, vt nauſeans (vti aſſolet) animus vlceroſos, & lue affectos homines auerſaretur, & tamen diurnis, nocturniſque laboribus in ægros omni ope iuuandos enixè operam nauabãt & officioſos ita ſe omnibus præbebant, vt non obſcura dederint ſigna eximiæ humilitatis, ac miræ bonitatis. Sanguinis, & vitæ propriæ prodigi, de aliena mirum in mo-

Illuſtria cõtempta vicit munia, vt pietate triumpharet in abiectis.

dum solliciti..Sed quo stimulo puncti? quibus præmijs allecti? quo pretio victi? tantorum onerum tam graui sarcina humeros supposuerunt generosi Atlantes? Quis hos Angelos plebeculam fædo pariter, & horribili morbo laborantem brachijs excipere, lectis imponere, potu, & esca porrectis reficere, manu propria curare, omni officij genere prosequi coegit? Quando? in qua Vrbe in quo orbe, in qua orbis plaga à nobilissimis genere, & pietate excellentibus, terræ filij, & de ima fece vulgi homunciones sindone inuoluti, feretro impositi sepulturæ mandati, sicut in Auenione fuere! Qui id genus munia, non modo vehementer ambirent, sed alijs omnibus opibus ab amore Diuino spoliati, multis emerent gemitibus, magna lachrymarum copia? nec ipsa quidem Alexandria Christianos suos sub tyrannide pestis martyrum coronas promeritos commendans disertissimo calamo similia nostris spectacula exhibuerit. Toto igitur illo calamitoso tempore, cum pestiferi

morbi

morbi vi accensa illorum charitas certauit, & nihilo salubrior ægrotis, quàm deinde valentibus illorum sedulitas fuit, & mihi ipsi de præfatis satis certo, hęc animo repetenti prodigiũ videtur, vnde tantæ illis vires sufficerent, quæ toties tot, ac tanta vno tempore onera sustinerent, nullo periculo cedentes. Est hoc seruorum Dei proprium, vt apud se ipsos humiles, & abjecti, in salute autem proximi, rebusque Diuinis mirè fortes sint, & constantes.

Rarum quoque dixerim, quod ex quinque hominum millibus (quos ad summum peste confectos prudens calculus numerauit) null⁹ in aquas deiectus pisces nutriuit, non plures tribus, aut quatuor iacuerunt, aut altera hora in loca publica, omnes si triginta, aut viginti secreueris, terræ sacræ sunt mandati.

Omnes ferè peste confecti in sacris Christianorũ more locis depositi sunt.

Tres porrò Chirurgos ad decem millia ægrorum, & eo amplius curanda satis multos extitisse, ex ipsis nullũ stipendiũ mortis meruisse, non iam prodigium, sed aliquid

Tribus Chirurgis plus profuit virtus sine medicamentis quam alijs medicamẽta sine virtute.

prodigio maius existimauerim, neque mihi quisquam (vt opinor) repugnabit, si passim alios eiusdem artis siue socios, siue Magistros, dum priuatis domibus aliquot nummos expiscaturi obierant, lue confectos occubuisse non nesciuerit.

Horrenda pestis rabies in Campo-florido.

Acerbitas morbi in hoc Campi-floridi Nosocomio eo vsque deuenit, vt opinemur par esse acerbum planè virus, quod in intimis ossium tunc inherebat medullis, cum vndas repentè fremere cernimus, terram concuti, totum Cœlum inhorrescere tenebris, omniaque elementa in antiquum Chaos reuolui malignam quandam, exitialemque vim subesse non ambigimus, quæ tantis intemperijs naturam vniuersam perditum eat.

Ingens omnium, tùm peste, tùm eius timore laborantiũ in Diuum Iosephum non sine miraculis pietas.

Sed auxilium à B. Iosepho ibidem oratum, & exhoratum id effecit, vt qui ipsum secundũ à Maria sydus Beatum Iosephum in tanto discrimine rerum inspexerunt, inque suum vocauerunt auxilium, aut procellosam illam rabiem non sunt experti,

aut breui sunt ab illa exempti. Quamplurimi præter acerbos cruciatus, quos illis pestilens creabat vlcus; in horas expectabant naufragium facturi, conuertunt oculos ad Diuum Iosephum, eius implorantes opem, repente ab vtroque periculo liberantur. Nonnulli quoque liberalem in se B. Iosephum experti sunt, qui cum gemino morbo grauiter afflictarētur, nempe pestilenti veneno, & alijs corporis doloribus, ab vtroque Diui præsidio conualuerunt.

Alij fuerunt, qui cum trinis, quatuor, vel quinque vlceribus pestiferis, septenis carbonibus B. Iosephi implorabant opem, breuique se ab illis lethi satellitibus sentiunt liberos.

His possem innumeram vtriusque sexus adiungere turbam, quæ in singulos vitæ dies septenas orationes Dominicas, totitemque Angelicas salutationes B. Iosepho vouit, vt pestilentiæ flagellum experiretur lenius, imo eo vsque accreuit aduersus Beatissimæ Mariæ sponsum totius valetu-

dinarij studium, vt in omnium ore eius suauissimum peruolueretur nomen.

Ad stupo-rē vsque mira-bilis in sep-tenni puero virtus, & constantia.

Insero lubens generosam indolem pueri septennis quæ nobilioribus foret digna monumentis, ille in hac infirma ætate in Nosocomio cum cœteris pestiferorum ministris semper impauidus, semper virus vicit, suaque sponte cum incredibili fortitudine teneriores omnes pueros lue extinctos in suos inuehebat humeros, & ad tumulos efferebat, quos verò præ pondere ex votis subleuare nequibat, qua poterat ratione, ne illis suprema negaret officia, in sepulchrum raptabat, idque pietatis officium nec diù, nec noctù intermittebat, & pro eximia ducebat gloria dici, & haberi, infantium, iunieniorumque vespillo.

Perpia mulier viris naturâ inferior, par virtute se morti deuouens natiuum timorem virili constantiâ superauit.

In imbecilli sexu non defuêre grandia, martyrioque paria pectora, dum mulier Perpia nomine Francisca tertiani D. Francisci Ordinis soror, se, suam operam, suamque salutem obtulit ad cunctos pestilentia laborantes iuuandos, quæ valetudinarium

vltrò ingressa intra o&ctonos dies suam contexuit coronam;tertio enim à pio famulatu suscepto veneno corripitur, octauo extinguitur, cum crebriùs inter ęgrotandum his sacris vocibus superos affaretur Domine Deus me tui causa in hunc locum descendisse, hæc subijsse pericula, non ignoras. O delitiæ, o amor animæ meæ miserere mei.

P. Petrus Bastida ex Dominicana familia, qui exaltationis salutiferę Crucis peruigilio illud valetudinarium ex sacerdotibus primus ingressus fuerat, quadragesimo secundo ab ingressu die primùm cœpit veneno pertentari, quod iam per totum illud spatium semper saluus, & integer hauriebat, pestiferis confitentibus aures dando, pascendo Cœlesti pabulo, oleo sancto ad extremam luctam vngendo, septimo quo correptus est, die sublatus est: Paucis verò ante obitum horis in phrenesim vsque eo vehementer incidit, vt omnes adstantes horrore repleret; clamores adeò inconditos edebat, vt luporum ritu vlulare vide-

P. Bastida floridam in Campo florido virtutum coronã futuri prouidus triumphi sibi contexuit.

retur; Cumque mitigandi furoris causa ilii Christi de Cruce pendentis effigies esset oblata, illam vrgente rabie de manu prætentantis abripuit, & continuò in frusta comminuit: Procidunt in poplites, qui illi aderant boni Patres leniores dolores tam benè de valetudinario merito viro aprecaturi, breuique suarum precum sensêre fructum, posito enim morbi furore, sibi restituitur æger, placidaque, ac firma voce cum incredibili omnium stupore, & gaudio hæc pauca locutus est, Deo gratias bene se habent omnia, iam tuta est salus mea, geminos de tartareis satellitibus benignus Dominus mihi præmisit, qui mihi adhuc in hac vita detento acerba purgatricium flammarum supplicia incuterent ad expiandas aliquot superbiæ, & ambitionis noxas, quas aliàs commiseram: hæc cum absoluisset, breui interiecto tempore, suam de corpore solutam animam circa meridiem in manus sui commisit Conditoris.

P. Ioannes Rector P. Bastidæ Religionis frater, hæres officiique virtutis æmulus, mortis comes eandem gloriæ laureā promeruit.

Patri Petro Bastidæ, non diù superuixit hospitij Magister Dominus Ioannes cognomento Rector. Is annos quinos supra vicenos Nosocomium, quod à Sancto Bernardo appellant cum magna omnium approbatione rexerat. Et verè quis probus poterat virum implorare, qui in singulis pauperibus Christum spirantem spectabat, & colebat, cùmque se tàm alto munere indignum reputaret, quandiu in illo versatus est, collo insertum funem, & in interiora, ne cerneretur, fluentem continuò gestauit, fiduciam in Deum, quàm per tam piè actam vitam colligere potuit, moriturus persensit; toto enim acerbioris morbi tempore in his suauissimis verbis reuolendis acquieuit: In te Domine speraui, non confundar in æternum. Postquam efflauit animam, qui suprema illi reddidêre officia, corpus eius zonà equinis crinibus contexta arctè constrictum reperêre, & in pera flagellum cruore perfusum; certa sanè non vulgaris virtutis instrumēta

Quidam eiusdem familiæ laicus frater Patrũ suorum exempla secutus eodem peruenit.

In eius demortui officium suffectus est de sacra Diui Dominici familia laicus Frater Patris Bastidæ socius, qui intra breue tempus grassanti morbo correptus, & extinctus, ad lauream tam insignis charitatis peruenit.

RES QVÆDAM AD NOTAM *illustriores quæ variis in locis contigerunt.*

Repentina Rhodani & Druentiæ eluuies multis minans vetulã tantùm absorpsit.

DVM Rhodanus, & Druentia mediæ noctis curriculo alueos egressi, terras Campo-florido adiacentes inundauerunt, ex octingentis, quà viris, quà feminis, quâ pueris, qui ibi valetudinem suam probabant, præter vetulam vitæ iàm pertæsam, & vti par est credere, sceleris puram, cæloque maturam, nemo perijt. Ipsa tuguriola vndarum dorso flutiantia multas horas illis recedentibus in continenti remanserunt libera omnia, neque de domicilio reperiendo satis sine huiusmodi clade miseris fuit laborandum.

Adhortationes vrbis Magistratuum de

summo muro subiectum populum excitantium audiebantur, & ipsorũ in mittendis scaphis mirabilis celeritas visa fuit, & diligentia propemodum incredibilis. Prodigium tunc dixisses generosi Itali sæpius iterato labore ternos, & quaternos simul traiiciendos piis humeris, & brachiis excipientis charitatem, qui octingenta capita liberauit ab eluuione nocturna. Sed inter cætera insignia, quæ profitetur à Beata Virgine Auenio recepisse beneficia, istud existit singulare, nisi enim Sabbathi sui Lunam solari lumine illustrasset, nisi in mediis tenebris meridiem creasset, nisi nubium exercitus Cœlo exulare iussisset, nisi Rhodanum, & Druentiam in suos carceres dicto citiùs fugere coëgisset, omnes procul dubio aquis obruti essent.

Prodigio simile cuiusdã Itali facinus.

B. V. huius eluuionis coërcuit rabiem.

Nec minùs stupendum est, dum enim incendium ingentem vrbis partem voraturum omnes formidabant, vna tantum domo contentum quieuit, sed quod miraculo plane simile videtur, rebus, omnibus

Res memoriâ digna de libello Regularum sodalitij B. V. inter flãmas intacto.

in eadem domo penitus abſumptis, ignis tamen religione quadam motus libellum regularum Sodalitij Beatæ Virginis attingere niſi leuiter, tanquam ad venerationis ſpeciem, nefas duxit.

Alterum connecto, horruit Auenio inſolens prorsùs incendium cuiuſdam lue correptæ domus, vbi etiam cadauer intuebatur. Timor tunc maximus vicinos omnes adeò inuaſit, vt flammas toti vico minitantes, ſuis ædibus timerent, & non tàm incendium formidantes, quàm luem horreſcentes in correptam domum, cui adiumento incendij initio eſſe poterant, ingredi nemo auſus fuit, & tamen proxima tecta, nec incendium, nec damnum aliquod ſenſêre,

Incendium toti vbi minitans plùs terroris quàm damni intulit.

Nec omittendum hoc loco cenſeo, quod de tribus pueris illuſtri nota digniſſimum iudicaui. Dum terrore maximo viriles etiã animos repleret vbique volitans imago mortis, omneſque auditâ feralis plauſtri campana latebras quærerent, mortis ſpo-

Res notatu digna de tribus pueris.

lia, & triumphantem in plaustro pestem impauidus Puer intuebatur, & in vico lætabundus veluti victima futuræ neci præludens gestiebat; monetur à vicinis puer vt fugiat, ille stat immotus, hi terrorem incutiunt, ille perseuerat intrepidus, hi pestem minantur, ille ridet; interea accedunt Vespillones, ad quorum aspectum ipso mortis intuitu truculentiorem pauore tanto cohorruit, vt relictis iocis fugâ saluti suæ consulere, & tot monstrorum occursum declinare tandem studuerit; sed non procul adhuc aberat, cum præcipiti delat⁹ impetu grauiter ad obuiũ lapidem pede miser offendit; casum sequuntur eiulatus, & lacrymæ, ad hos luctus miserandos aduolat crudeli commiseratione motus Vespillo, pueroque opem matris non mortis imploranti, fluentem lethali tabo manum imprudens homo porrigit, & iacentem erigit ad peiorem priore casum; & ne aliqua imprudentiæ nota deesset hoc in facto crudeliter pio, pueri vestem for-

dibus emundans leuibus, turpiori pestis cœno totam infecit, puerumque pestifero afflatum halitu velut intactum domum remittit. Abit Vespillo egregio sanè charitatis; imò crudelitatis perfunctus munere, & triplicis homicidij reus plaustrum sequitur; Domum repetit puer adhuc ex graui casu lacrymabundus, nec dum lenito dolore solus conqueritur, fores pulsat, patrem inclamat; Pater, vel rei gestæ ignarus, vel amore paterno excæcatus, vel suis nimiùm credens remediis puerum, vt viperam licet innocentem, sinu fouet, lacrymas abstergit, solatur, & longum virus ebibens, sollicitæ matri porrigi leniendum. Mater vero nullum pietatis officium præmittit, dolorem pueri, lacrymasque lenitura. Sed ad hæc (vt reliqua paucis complectar) Pater breuissimâ temporis interiectâ mora inexpertis doloribus oppressus moritur furibundus. Mater ex pueri fronte afflata peste libans oscula haurit incauta, lethale virus, atque funestis pueri ample-

xibus veluti laqueis præfocatur, Puer veneno turgidus Parentes sequitur; Vnius denique casus totius familiæ ruinam secum traxit.

Alium huic adiungo euentum minùs quidem luctuosum, sed non minori suspiciendum admiratione; ex infantibus lue correptis vltimus fuit, qui dum animā ageret, elata in Cœlum dextera, erectis que in altum Indice, & medio, cæteris contractis digitis efflauit animam. Dextera in altum erecta permanente, & quod notatu dignum videtur ab illa hora infantium nullus extinctus est. Quis credat hoc sine peculiari Diuinæ prouidentiæ in pueros amore contigisse.

Sed iam liceat mihi funestis casibus cursum attexere non risu magis, quam admiratione dignum.

Puer quidam optato Patris aspectu orbatus diu (Pater enim lue correptus in aliam extra Vrbem domum secesserat) de Patre ad obsequium inuisendo, Matrem

quotidie ſollicitabat, illa ſæpe ſæpius fabulis pueri cogitationẽ aliò abduxerat, tamen cum ſæpius in die Matris animum hac de re fatigaret, tandem quà precibus, quà lamentis exorauit, vt Patrem è mortis faucibus, & ex tyrannico peſtis Imperio ereptum cum tota familia gratulationis cauſa ſimul inuiſeret, Pater leuatꝰ morbo, nõ tamẽ adhuc ab omni ſuſpicione immunis nõ minori tenebatur deſiderio ſuos reuiſendi, quibus in egreſſu vltimam ſalutẽ edixerat; mutuũ itaq; rogat cõſalutationis obeundæ munus, monentur omnes, dies dicitur, tempus conſtituitur, locus deſignatur, eò iam venit Pater, tota cum Matre accurrit familia, ſed puer præ cæteris voti compos lætus aduolat. Erant iam õnes in remoto proſpectu (nefas enim erat præſcriptos limites tranſilire, morbi quippe metus propriorem vetabat acceſſum) ſed cæcus amor, & puerilis temeritas metas neſcit. Nam ecce puer ſuccenſo ad Patris aſpectũ amplexus paterni deſiderio æſtu-

ans sese ex Matris manibus, & ex famulorum cœtu repēte surripit; Pater læta voce, lætoque plausu ingeminans, & solitis pellectus blanditijs ad eum citato cursu contendit: Hæc pueri cęca temeritas omnium perturbat animos, lucem mutat in tenebras, festum diem in nefastum, & risus in lacrymas, huius audacia timorem omnibus parit; illius gaudium ciet lacrymas, eiusque lętę acclamationes luctuosos provocāt eiulatus, Matrem excitat ad cursum amor, vt puerū in perniciem suā irruentem reuocet, sed timor impedit, ne duos reducat infectos lue, dat alas amor, sed timor resecat, illa fugientem voce prosequitur & compellit, sed ille totus in patrem, matrem nescit, illa minatur, sed veniam in culpa se reperturum confidit, illa tonat & fulminat, sed bruta veluti fulmina minas ridet, aut si vera, patris quærit sinum vt declinet, illa mox rogat, sed patris duntaxat memor, quem habet aduersum, auersæ matris obliuiscitur. Ad hæc famuli, in ob-
sequium

sequium prompti nutum expectant, sed ne aliquo ferantur incauti (vt est impudens admodum hoc genus hominum) illos continet heræ præsentia, eiusque vetat imperium. Cum autem in re tam inopina deesset consilium, illi mittunt eiulatus & suspiria tanquam lictores, vt saluo puero sola pereant, sed truncatos manibus illos satellites irridet puerilis constantia, illi lacrymas fundunt præ dolore, iste præ gaudio, isti lugent, hic ridet, illi puerum ingeminant, hic patrem, illi quo se vertant, nesciunt, sed quò tendat puer, amor docuit, tendit ad patrem, patrem inclamat, patris quærit amplexus. Quid ad hæc pater, ad repentinum adeò casum vocata prudentia fugam consuluit, ne puero salutem afferenti pestem rependeret, ne per crudeles blanditiarum illecebras in tenerum pectus virus infunderet, neue simiorum instar inter amplexus, & oscula quolibet odio deteriora natum extingueret; Pater igitur suadente prudentia

fugit, ne tangatur à puero; puer, vt tangatur à patre, amoris impellente studio prosequitur, ille negat accessum, hic vrget; ille vetat congressum, sed huic amor auditum sopit; illi timor aptat talaria, huic amor; ille Parthica fraude pueri pertinaciam superat fugiendo, hic arte natiua prosequendo patrem vincit, cum fugiat; ille abscessum precatur, hic accessum intelligit, ille rogando vlteriorem cursum vetat, sed vetantis preces huic sunt vocantis imperia; Pater clamat, sed igneas veluti scintillas in pueri pectus per aures immissas ardentioris desiderij faces accendit. O potentes simul & infirmæ amoris vires, amor quippe vincit, & vincitur, vincit in puero, sed vincitur in patre, nati vincit audaciâ, sed patris timore vincitur, puerilem vincit rationem, sed paternâ vincitur; Aut si propiùs rem inspicias, ni mea me fallit opinio, inter tot funera iocantis naturæ ludus exhibetur, cuius theatrum Campus est floridus, spectato-

res adsunt quidam lugentes, ludentes alij, pater Thersitis partes agit, dum fugit, puer Thrasonis, dum aggreditur, pater victus puerum fugit, puer victor patrem insequitur, pater vincere & vinci vellet, sed vtrumque dubius timet. Dum hæc scena peragitur, alia non minùs lepida, quam ad speciem luctuosa præparatur; Pater nondum confirmatis viribus ex illo cursu penè defessus hoc tacitus apud se consilium init, cursum nempe rectà dirigit ad prospectantem familiam inter lacrymas, & risus fluctuantem, ea mente vt transeuntem prope puerum sisteret mater aut famuli; Mater aduolantem ad se recto tramite maritum prospiciens, insanum, aut furore correptum conspicata, & Panico terrore correpta fugæ saluti suæ consulit, heram sequuntur famuli, miratur herus, vrget cursum, & qua potest voce contendens indignabundus conatur à fuga reuocare, sed quò magis inclamat, vt redeant, eò magis gressus præcipitant, vt

congressum declinent, omnes, vt opinor, totum diem in cursu consumpsissent, ni puer patrem prosequens in scrobem incidens cursus metam inuenisset, qui casus omnium citatos cursus cohibuit, audito quippe lapsi iam pueri gemitu vano timori verus cedens ita pectus ipsorum occupauit, vt qui priùs alati Pegasi, iam statuæ viderentur: Pater primo mentis impetu abreptus ad opem ferendam statim aduolauit, sed reuocata ratio ipsum arguens imprudentiæ, hoc pietatis officium matri reliquit, quæ plus iam puero, quam sibi timens, properat opem latura, denique reuocato tantisper halitu, nihil omnes antiquiùs habuerunt, quàm ad lacrymas abstergendas, & ad quietem post tot cursus capiendam domos repetere. Gratus sit aliis veterum cursus Athletarum, iste mihi plurimùm semper arridebit.

PRECES GRASSANTE PESTILENTIA ad placandum Numen frequentiùs adhibitæ.

ANTIDOTVM contra pestem, & omnia venena, Sacramenta, & Orationes optimum quisque iudicabat, & fuit, qui singulis hebdomadis peccata expiaret, qui quolibet sabbatho dicata iampridẽ B. Virgini luce sacrã Eucharistiam præuiâ penitẽtia acciperet. Non fuit, aut rarus fuit, qui ad ædem aliquam sacram quotidiè non se conferret, sacrum, vel auditurus, vel facturus.

Varia pietatis exercitia.

Litaniæ B. Virginis alicubi septies in die decantabantur, nominis eiusdem Virginis crebra appellatio, qua noctes, & dies tota Vrbs personare solita, aliæque preces à

Litaniæ sæpius in die repetita.

pueris, puellisque parentibus orbis, à misera plebe, ab vtriusque sexus religiosis fusæ.

Diuinum Trisagion crebrius decantatum.

Singuli Diuinum illud trisagion sæpiùs piè recitabant. Nempe *sanctus Deus sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nostri.* Cunctique in Ecclesia simul ex intimo corde multis gemitibus Diuinã misericordiam implorantes, idem trisagion alta voce pronunciabant ob miraculũ pueri in aëra rapti, qui ab Angelis dictum illud trisagion didicit.

Historia Constantinopolitani terræmotus

Anno enim Christi 446. Leonis Pontificis 7. Theodosij secundi Imperatoris 39. Valentiniani tertij 22. tertium, & Symmacho Consulibus; Ingentie trræmotu per loca varia imminente, ædes plurimę, & muri Constantinopolis cum 57. turribus corruerunt, ac fames, & aëris pestifer odor multa millia hominum, iumentorumque deleuit. Hicque ille est p lanè pauendus, & horribilis terræmotus, quoad sex menses continuò perseuer ante, cum vniuersus fer-

me orbis concussus esset, & innumeris terra, marique casibus Orientis pars maxima, Occidentisque regiones plures affectæ fuissent, accidit Constantinopoli, vt cum Theodosius Imperator vna cum Proclo Episcopo, vniuersoque Populo præ metu ruinarum in Campo habitarent, hac die quadam eo vehementiùs sæuiente, cuncti simul ex intimo corde multis cum gemitibus Diuinam misericordiam implorarent; superna repente vi puer, spectantibus omnibus de media turba in sublime extra visum hominum raptus, rursuque priore per aërem vis in eundem locum demissus, Patriarchæ, Imperatori, vniuersæque multitudini ad preces prostratæ retulit ab Angelis se Diuinum trisagion in hunc modum decantatum audiuisse. *Sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis miserere nostri.* Et vt ipsi eodem modo concinerent, præmonuit. Quod mox vbi Populus iubente Patriarcha psallere cœpit, terræmotus omnino quieuit: Puer vero animam

efflans in Principe Templo conditus est. ac Theodosius Imperator, vnà cum sorore Pulcheria Augusta edita Cõstitutione decreuit, vt per totum orbem hymnus ille Diuinus concineretur, atque huius rei memoriam Græci descriptam reliquerunt in tabulis Ecclesiasticis die 24 Septembris. Ita fert apud Baronium D. Ioannes Damascenus l. 3. de orthodoxa fide c. 10. Marcellinus Historic. Nicephor. lib. 14. c. 46. S. Felix Papa tertius Epist. suis aduersus Petrum Fullonem Episcopum Antiochenum, eundem hymnum additione impia corrumpentem tom. 11. Conc. in Felice III.

Variæ preces quibus varij quotidie vtebantur.

Alij sequentem Orationem recitabant, nempe. *Benedictum est nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis iis, qui inuocant te, non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tmepestatem tranquillum facis, & vt post lacrymationem, & fletum exultationem effundis, sit nomen tuum Deus Israël benedictum in secula.*

Tob. 3.

Alij

Alij Orationem subſequentem ſancti Auguſtini, dum hipporegius flagellorum Dei calamitatibus præmeretur.

ANTE oculos tuos Domine culpas noſtras ferimus; & plagas, quas accepimus, conferimus: ſi penſamus malum, quod fecimus, minus eſt, quod patimur, majus eſt, quod meremur; peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam nō vitam? in flagellis tuis iniquitas noſtra teritur, & infirmitas non mutatur; mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur; vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat; ſi expectas non corripimur, ſi vindicas, non duramus: confitemur in correctione, quod egimus, obliuiſcimur poſt viſitationem, quod fleuimus: ſi extenderis manum, facienda promittimus: ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non ſoluimus: ſi ferias clamamus, vt parcas: ſi peperceris iterum prouocamus, vt ferias. Habes Domine confitentes reos; nouimus quod niſi dimittas,

rectè nos perimas. Præsta tamen Pater omnipotens sine merito, quod rogamus; qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Alij Antiphonam sancti Sebastiani Martyris cum Oratione sequenti recitabant.

MARTYR egregiæ, decus militię, Athleta fidei, ora natum Dei; vt auertat à nobis indignationem suam. Martyr suffragia effunde pia, vt epidimia non sit noxia in hac patria, aut in alia, quæ subsidia poscit tua.

℣. Ora pro nobis Beate Martyr Sebastiane.
℟. Vt mereamur à morbo liberari, & promissiones Christi obtinere.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus qui meritis B. Sebastiani Martyris gloriosissimi quãdam generalem pestẽ epidimię hominibus mortiferam reuocasti, præsta suplicibus tuis; vt qui pro simili

peste reuocanda, ad ipsum sub tua confidentia confugimus, ipsius meritis, & precibus ab ipsa peste epidimiæ, & ab omni tribulatione liberemur. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Alij infrascriptam Antiphonam, & Orationem recitabant.

Depromptam ex libro inscripto de origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ F. Francisci Gonzagæ eiusdem Religionis Ministri Generalis, & Episcopi Mant. part. 3. cap. 8. de Monasterio sanctæ Claræ Conimbriæ. fol. 941. In verbis quæ sequuntur.

LAborante vniuersa Conymbricensi Ciuitate grauissima peste, cœpit, & hic locus infici, cumque Abatissa daret operam ad cratem, vt sorores sibi subiectæ, alio transferrentur, vt vel sic mortem euadere possent, affuit ex insperato mendicus, qui ab ea tantæ tristitiæ &

solicitudinis causam suscitatus atque certior de his factus, membranulam sibi porrexit, inquiens, si curaueris, vt Antiphona, & Oratio hac in cartula scriptæ singulis diebus decantentur, hic locus immunis omnino à peste erit: hisque dictis euanuit. Antiphona verò, & Oratio ab ipso traditæ huiusmodi erant, infra scripta.

Antiphona.

STella Cœli extirpauit, quæ lactauit Dominum, mortis pestem quam plantauit, primus parens hominum: Ipsa Stella nunc dignetur sydera compescere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis vlcere. O piissima Stella maris à peste succurre nobis. Audi nos Domina, nam Filius tuus nihil negans te honorat: Salua nos Iesu pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius Stellæ gloriosæ, cuius vbera prætiosa contra venenum nostrorum delictorum dulciter suxisti, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omni peste, & improuisa morte secure liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer saluemur. Per te Iesu Christe Rex gloriæ qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Existimarunt sorores huiusmodi mendicum fuisse Beatum Bartholomæū Apostolum. Quidquid tamen sit, indubia res est, cœnobium ab eo tempore ab omni pestifera lue Conimbricensi etiam Ciuitate infecta, liberum fuisse.

Alij hiusmodi à nobis institutas Preces pro Ciuitate, quæ recitabantur, & decantabantur ad instar Psalmi.

Antiphona.

Præcatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit. Quare Domine irasceris in populo tuo, parce iræ animæ tuæ; & placatus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo.

Psalmus.

QVI Cœlorum contines thronum, & abissos intueris, exaudi nos: Domine in gemitibus nostris.

Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram.

Iuxta es Domine ijs, qui tribulati sunt corde, & humiles spiritu saluabis.

Domine miserere nostri, ad te sunt oculi nostri.

Esto in brachium nostrum in mane, &

salus nostra in tempore tribulationis.

Ciuitatem istam tu circunda Domine, & Angeli tui custodiant eam.

Aspice Domine, quia non est, qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

A facie furoris tui Domine conturbata est, sed miserere Domine, & ne facias consummationem.

Exaudi Domine populum tuum cum misericordia, auertatur furor tuus Domine à populo tuo, & à Ciuitate ista.

Miserere Domine Deus, & esto placabilis super nequitiam populi tui.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ.

Domine non secundum peccata, nostra quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, &

propter gloriam nominis tui Domine libera nos, propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Tu dixisti, salus populi ego sum, de quacunque tribulatione clamauerint ad me exaudiam eos.

Excita ergo Domine potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ à seculo sunt.

Conuerte Domine aliquantulum, & deprecare super seruos tuos.

Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione sperent in te, qui nouerunt te, quoniam non derelinques quęrētes te Domine

Tribulationes cordis nostri dilatatæ sunt, de necessitatibus nostris erue Domine

Protector noster aspice Deus, & respice super seruos tuos,

Domine Deus virtutum exaudi preces seruorum tuorum.

Libera Domine Deus Israël clamantes

ad

ad te, & erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo.

Oremus.

DEVS, qui Angelorum munitionibus sanctam Hierusalem visitas, & protegis, respice propitius super hanc Ciuitatem tuam. Repelle Domine ab ea omnes pestiferum languorem, hinc discedat morbus omnis, & effugiat quidquid habitantium incolumitati nocet. Extende potentissimam dexteram tuam super ipsam Ciuitatem, quæ sub sanctissimæ Matris tuæ gloriosissimæ matris clipeo se tuetur, & omnes illius habitantes ab iracundiæ tuæ terroribus liberos, & misericordiæ tuæ fac largitate securos. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oremus.

DEVS in quo viuimus & sumus, ne despicias in afflictione clamantes morbum à nobis propitiatus auerte, vt qui

in tua protectione confidimus, liberari a malis omnibus, mẽte secura tibi seruiamus

OMnipotens & misericors Deus, qui nos, & castigando sanas, & ignoscendo cõseruas, placare humilitatis nostræ præcibus, & vbi nulla suppetunt remedia, tuis nobis succurre præsidijs. Per Christum Dominum nostrum, Amen.